



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Relationes De Gloriosa Morte Novem Christianorum
Iaponensium**


Pasio, Francesco


Moguntiae, 1612


[urn:nbn:de:hbz:466:1-68461](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68461)





Th. 5224.














RELATIONES DE
GLORIOSA
MORTE NOVEM
CHRISTIANORVM
IAPONENSIVM,
QVI

Pro Fide Catholica,
IN REGNO FINGENSI,
Sassumano, & Firandensi occu-
buerunt.

Liber Collegij Societatis IESV Paderb
PRAEPOSITO PROVINCIALI
Societatis Iesu in Iapone, mense Martii
anni MDCX.


AD REVERENDVM ADMO-
dum in Christo Patrem CLAVDIVM AQVAVI-
VAM Societatis eiusdem Praepositum Gene-
ralem missae, & iam primum Lati-
nè redditæ.

M. D.



CXII.

MOGUNTIAE
Ex officina typographica Ioannis Albini





RELATIO
DE GLORIOSA
MORTE, QUAM PRO FI-
de Catholica in Regno Fingo,
quinque Christiani Iaponii
Martyres obie-
runt:



ANVARIO ANNI
MDCIV. perscri-
ptum est ad Te, R. P.
quemadmodum De-
cembri anni M. D.
CII. Cum amoti,
& Yatzuxiri, quæ oppida sunt re-
gni Fingensis, iussu Canzuendoni
capitalis hostis nostræ fidei, qui re-
rum inibi potitur, sex Christiani no-
biles martyrium perpetrarint. Ex
quibus Ioannes Gorozayemon, &
Simon Gofioye auribus, ac deinde
A 2 capiti-

4 RELATIO DE

bus truncati: mater Ioanna, & Agnes coniux Simonis, Magdalena Ioannis coniux, ac Ludouicus septuennis puer Magdalenzæ nepos, quem ipsa vna cum marito adoptarat, in cruce vitam posuerunt. Mense deinde Martio anni MDCVI. certiozem Te feci de duobus aliis Martyribus, quos pro fide Christi Morindonus Amangucii Rex obrūtcauit Damiano Cæco, qui in eadem vrbe, & Melchiore Buiendono viro natalibus, & armis inclyto, qui in arce Fangui cæsus est. Nunc exequar historiam martyrii, quo cum singulari diuini nominis gloria, in his extremi orientis partibus mirificè fides nostra confirmata, atque illustrata est, cum alii quinque laponii Christo vitam suam posthabuerunt: Michael Ficoyemon, Ioannes Ingorò, Thomas Michaelis filius annos natus duodecim & Petrus Ioannis filius annorum circiter sex, qui Yatzuxiri III. Idus Ianuarii
anni

MARTYRIB. IAPON. 5

anni MDCIX. occubuerunt, quibus accedit Ioachimus Irozayemon, qui quod VI. Kalend. Septem. anni MDCVI. ærumnis ac pædore carceris, in quo cum illis eiusdem fidei caussa tenebatur, sit emortuus, est omninò in sanctorum Martyrum numero reponendus. Hi sunt tres illi felices Giffiachi (sic appellât homines, quibus negotium est in benignitatis officiis, animorumque salute procuranda versari) quorum in historia martyrii Yatzuxirani sæpe mentio facta est. quippe qui sex illis martyribus, ad extremum vsq; vitæ momentum præsto fuerunt, suoque exemplo & hortatu multos defectores ad Ecclesiam reduxerunt, languidos, ac vacillantes corroborauerunt, & feruidis, atque incitatis animos & spiritus addiderunt.

Hoc martyrium tria in primis celebrius fecerunt. Primum diuturnitas, siquidem Ioachimus sequianum, Michael vero, & Ioannes qua-

tuor ipsos annos, in arctissima teter-
rimaque custodia, antequam mor-
tem pro Christo oppeterent, ita vi-
xerunt, nullum ut vnquam de se
fracti, inclinatiue ad hostium volun-
tatem animi indicium darent: imo
vero acerba quæq; patiendi, & mo-
riendi pro Christo amor gliscebat
indies. at contra Canzuiendonus,
satis gnarus quāta Christiani Mar-
tyrii studio ardeant, quantique in
Ecclesia Martyribus honores sint
decreti, cum hanc iis gloriam, ac
palmā inuideret, destinabat scilicet
homines diuturna molestaque cu-
stodia tātis per excruciare, dum aut
imperata tandem facerent, aut, ut
ipse arbitrabatur, sine Martyrum ti-
tulis, miseris exemplis vita extur-
barentur. Sed nimirum vicit ty-
ranni inuidiam ac furorem, Marty-
rum robur, atque constantia. Nam
quæ est in Christum odio, nimis ei
longum fuit dum in carcere naturæ
concederent. Tametsi vero Ioachi-
mum

mum antè ærumnæ de medio sustu-
 lerunt, non tamen iccirco martyris
 decus, palmamque perdidit. Alte-
 rum est, quod non ideò tantum sunt
 mortui, quod Christi fidem sint
 professi, sed etiam quod aliis eam
 tradiderint, atque inter ipsas com-
 pedes Ecclesiarum partes ege-
 rint, vt verè prædicari possint labo-
 rasse propter Euangelium vsque ad
 vincula, sed verbum Dei non erat
 alligatum. Igitur in sententia quæ
 publicè iuxta capita quattuor ob-
 truncatorum affixa est, scriptum e-
 rat eos ad aliorum exemplum à
 Canzuiendono morte mulctatos,
 tum quod contra ac vetuisset, Chri-
 stiani essent ipsi, tum quòd cōplures
 Ethnicos ad sua instituta pertraxis-
 sent, & persecutionis metu lapsos
 reduxissent. Tertium est quod hunc
 felicem exitum Simon Gofioye, v-
 nus è superioribus illis martyribus,
 eadem, qua excessit, nocte prædixit.
 Cum enim eum Ioannes, Michael,

§ RELATIO DE

& Ioachimus illo ipso tempore enixè rogarent, vti, postquam cælum attigisset, sui memor esse vellet. Ego vero, inquit, vos gaudere, & Deo confidere iubeo; erit enim non ita multò post, cùm, quo itinere, me miserum Deus perducere dignatur, eodem perueniatis in cælum. Dominus quoque Episcopus confirmat, eum hi Dei serui post illorum sex orbitum Nangasachum venissent, vt Confirmationis sacramento muni- rentur, atq; ipse in memoriam illius promissi Simonis rediisset, visum sibi esse non vulgares Christianos, sed Christi Martyres vngere, quos iam videre videbatur suo ipsorum sanguine delibutos.

Cæterum historia huius Yatzu- xirani Martyrii, vt publica fama, certisque ac minime vanis testimo- niis comperimus, est huiusmodi. Quo tempore Augustino Vnoca- mindano dimidium huius Fingensis regni parebat, habebat ille Yatzu- xiri,

xiri, quæ inter eius ditionis oppida facile princeps erat, haud contemnendam Christianorum multitudinem, quæ à Patribus Societatis Iesu gubernabatur, magnasque quotidie numero, ardore, omnibusq; virtutibus progressiones faciebat. Postquam ille ad meliorem vitam abcessit, Canzuiendonus, qui alterum dimidium obtinebat, reliquum etiam in ditionem accepit, atq; ut est Christianæ doctrinæ iuratus hostis, vix possessionem cæperat, cùm Patres omnes solum vertere iussit, appositis vndiq; crebris, diligentibusque custodiis, quæ Euangelii præconibus aditum omnem in eam regni partem intercluderent. Ad hæc non multò post anno MDCI. sæua persecutione, quæ etiamnum ardet, Christi fideles vexare cœpit. Iis visum est maioris mali vitandi causa faciendum esse, ut commodius tempus operiamur Sacerdotes eõ mittendi, aut si quando Præpositis aliquem

8 RELATIO DE

aliquem mitti placeat, id quam maximè fieri poterit clandestinò, cautè, ac circumspectè fiat, id quod non sine incredibili Christianorum, qui tam graviter afflicti iacent, solatio à nobis vsurpatur. Ne verò, quando Patres sine manifesto vitæ discrimine, aut maioris tempestatis metu diu inter illos commorari nequibant, carerent hominibus ad quos, vbi quid grauius accidisset, confugerent; delecti sunt, qui eos interea regerent, Giassiaci, quos diximus. Quæ electio, ob eorum ardens animis hominum opitulandi studium, prudentiam, caritatem, & mysteriorum Christianorum scientiam, mirum in modum in vulgus probata est. Non deerant Yatzuxiri inter Christianos homines nobiles & lauti: verum Deus qui infirma mundi eligit, vt confundat fortia, delectit tres illos viros, qui nulla eximia fortuna vtebantur, sed sibi suisque labore victum quærebant. Ioachim
mus

mus patria Yatzuxiranus annos natus erat quinque & quinquaginta, atq; decimo ante mortem anno baptismo expiatus fuerat: homo simplex, affabilis, Deo seruiendi studio feruens. Vix baptismo tinctus erat, cum se ad opem animis hominum summa contentione, atque alacritate ferendam contulit. Michael ibidem natus quinquagesimum agebat annū. Is vel cum Ethnicus etiam esset naturali quadam indole ad probitatem propensus erat, sincerus, prudens, & comis, atque iccirco in sinu erat atq; oculis omnium. Quinto decimo ante obitum anno baptismo lustratus erat, ac toto deinceps tempore incredibili quodam desiderio flagrauit sanguinis pro Dei nomine profundendi, idq; vt liceret Deum identidem precabatur. Nisi, vti de se demissè sentiebat, ex animo se indignissimum tam ingenti gratia ratus, rem tam arduam atque cælestem prope se consequi

qui

qui posse diffidebat. Neque immeritò. siquidem hoc negotium non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei. Legimus in quadam eius epistola, quando reos ultimo supplicio mactari videbat, solitum secum ita loqui: Hem, quid homo infelix faciam, quando isti pro caducis his rebus tam dira patiuntur? Nullam vnquam occasionem prætermisit animas Christo acquirendi, initio à sua familia factò, quam ad salutarem fidem, bonamque frugem correxit. Ioannes annorum vndequadraginta, natus erat Muri, quod est oppidum in regno Farimensi homo incredibili bonitate præditus, acri ingenio, eloquens, & propter prudentiam, animique magnitudinem ad res, & aggrediendas, & perficiendas appositus. Decem anni sunt, postquam baptizatus est. Et, quoniam antequam Christo se daret, diu perquam attente concionibus Catecheticis

cheticis operam dederat, non mediocriter erat in mysteriis fidei nostræ versatus. de quibus, rebusque cælestibus mirificè verba faciebat. & fuit in eo perpetuum quoddam accensumque desiderium se, vitam, fortunamque suas Dei amori impendendi. His igitur tribus magnis Dei seruis, cum iis quas dixi dotibus essent ornati, non sine singulari Dei numine Giffiachorum munus demandatum est, quod ad se delatum acceperunt, & sæuæ imprimis, ac periculosæ persecutionis tempore tanta caritate, curaque administrarunt, quantam in bonis, & vigilantibus parochis, animarumque curatoribus desiderare possimus. Diuiserant inter se vicos Yatzuxiranos, baptizandis, ubi de vita periclitarentur, infantibus, inuisendis ægris, atque ad obeundam piè mortem animandis, mortuis sepeliendis, tristibus alloquendis, iacentibus erigendis, imbecillis animandis, conuertendis Ethnicis, aliisque simili-

bus

bus Christianæ pietatis officiis obe-
undis. Eorum domus erant Christi-
anis pro templis. Adibant interdum
per annum Patres Arimenses, aut a-
lios viciniore, vt rationem eis de re-
bus omnibus redderent, ac vicif-
sim necessaria ab iis præcepta pe-
terent. Persecutione vt cum ma-
ximè ardente, cùm Canzuiendo-
nus edixisset, vt Christiani sua fide
deserta ad sectam eorum quos Fo-
chexus vocant, transfirent, atque
ea de causa alios exilio, alios mor-
te multaret, atque adeò in om-
nes baccharetur, horum trium ne-
cessarii, auctores ijs erant, vt ab-
iecto Giffiachorum officio Yatzu-
xiro excederent, quando impen-
dentem à Tyranno mortem aliter
ab se suisque familiis depellere non
possent. At illi non modo nullis a-
micorum cõsiliis aut precibus flecti
poterant, sed etiam vsque eò animi
illis ardorque crescebant, vt cum
periculorum magnitudine & genti-
lium

lium ministrorum furore certarent. Inter alia ab iis gesta neque satis verbis exprimi, neque, ut dignum est, laudibus ornari potest, quod præstiterunt in subleuandis sub extremum discrimen illis Yatzuxiranis Martyribus, ut, quod deinde fecerunt, feliciter partes suas peragerent. Nunquam ab eorum latere discesserunt, ut matrem diceres ægri filii cervicali assiduo hærentem; donec eos pro Christo partim capite multatos, partim cruci suffixos viderunt. Neque solum eis ad mortem usque solatia dare, sed postea defunctorum quoque reliquias colligere negotium fuit, tametsi regij administri intenti aduigilarent, & graue periculum adiri constaret. Ergo cum quattuor arcas comparassent, apposuissentque singulis suam epigraphen, ne quando inter se miscerentur, consumptis iam ita corporibus, ut sola propemodum ossa superessent, obscuro noctis, tempestate
ventis

ventis, atque imbribus horrida, ad locum felicitatis caedis profecti per intervalla sacra ossa tollebant, nonnullis semiauulsi, & de cruce pendentibus interim relictis, ut non sublata furto, sed ventorum vi disiecta viderentur. Atque ita collecta paulatim singula corpora, suisque arcibus indita, una cum crucibus, quas ad extremum etiam refixerant, Nangasachum aduexerunt, ubi honestè condita in perpetua horum fidelium veneratione sunt.

Quo tempore Simon Gofioye, cum sociis pro Christo interemptus est, Yatzuxirum pro Canzuindono summa cum potestate administrabat Cacuzayemon. Huic Iohannis, & verò, supra quam credibile est, Simonis vetusti, & intimi amici mors acerba accidit. Atque ideo quicquid potuit, ad eum seruandum contulit. Sed cum animum induxisset eos aliquando ad morigerandum principi saltem in speciem
flecti

flecti potuisse, nisi trium illorum
 Giffiachorum consiliis, & sermoni-
 bus impediti essent, capitale in eos
 odium concepit, quod deinde illa
 suspicione nutritum, auctumq; est,
 quod quattuor crucifixorum ossa
 de crucibus sublata Christianis Yat-
 zuxirensibus vendidisse crederet. I-
 gitur ad Canzuiendonium eos de-
 fert, eique denunciat, si quidem id
 oppidum expurgatum Christianis
 vellet, non aliud restare consilij,
 quam vt Ioannes Ingoro, Michael
 Ficayemon, & Ioachimus Gitoza-
 yemon, conlicerentur in vincula.
 qui non satis habeant Christi insti-
 tuta profiteri, in super alios doceant,
 atque Ethnicos ad ea complecten-
 da; qui ab his deiciuerint, ad repe-
 tenda; cæteros, etsi sanguinem fun-
 di necesse sit, ad retinenda accen-
 dant. Deniq; hos esse, qui patrum
 Societatis Iesu, quos ipse abire ius-
 serit, vicem impleant. Postquam
 negotium ei à Canzuiendono da-

B

tum

tum vt eos in custodiam daret, primum Ioannem Giffiachorum facile principem sibi sisti iubet, ac subinde hominẽ acerbè increpat, quod contempto Principis edicto, non modo Christianus esset, sed etiam Ethnicos sollicitare, & Christianos à deserenda religione deterrere auderet. Respondit Ioannes constanti, & placido vultu. Nihil se quidem eorum quæ obiicerentur, quando tota vrbe nota publicè essent, negare aut velle, aut posse. neque vero intelligere, quid ea re Canzuiendoni auctoritatem minuere, aut offendere possit, quoniam salutis negotium liberum esse oporteat, nec quicquam de obsequio ac fide detrahat, quam Politicis Magistratibus debent, qui in eorum sunt ditione. Quod ad Christianos attineat quibus auctor esse soleret vt in suscepta Christi disciplina ætatem constanter perseuerarent, se verò id facere, quod certò perluasum habeat, gra-

at, gra-

at, gratum se Deo huius vniuersita-
tis parenti, quem vnum adoret fa-
cere. quare si huius gratia vitæ ia-
ctura facienda sit, in maximi bene-
ficii loco habiturum. Comperto
Cacuzayemon ex tam constanti
responso, nihil apud Ioannem suam
obiurgationem momenti habuisse,
ad promissa, & obseruantia, amo-
risq; signa vertitur. Introducit ho-
minem in secretiora conclauia, pro-
pinat (iam quod est in his oris po-
tionis genus) & quanta potest vi de-
nuo tentat eius animum, vt à fide
discedat. sed tanta fuit eius verbo-
rum copia, tanta vis rationum, quas
in ipso tempore Deus suo famulo
subministrabat, vt conuictus, atque
in ruborem datus Gubernator, ni-
hil contra tendere ausus hominem
in vincula abripi iuberet. Inde litte-
ras dedit ad Christianos Yatzuxi-
renses, quibus quid sibi cum Guber-
natore negotii fuerit exequitur. Eas
ne historiae filum interrumpatur,

commodius in finem reiiciendas
putauimus. Michael per tempus,
quid rerum ageretur edoctus, atque
in eiusdem cum Ioanne discriminis
societatem veniendi cupidus, ad e-
am se comparabat, ac moræ tandem
impatiens, conuersus ad Christia-
nos, qui ad eum visendum confluxe-
rant. Quid, inquit, malum, me quo-
que morantur accersere? Equidem
iam demum sentio, meis me pecca-
tis tanto bono indignum reddi. Vix
hæc dixerat, cum adest cohors, e-
umque in carcerem abducit. Per vi-
am obuium habuit Ioannem, atque
inter se tantam lætitiā agitarunt,
quòd se Christi causa captiuos cer-
neret, vt satellites, & vinctos Eth-
nicòs vehemens admiratio caperet.
Erat per id tempus Ioachimus Nā-
gasachi: quare gubernator coniugem
in mariti vicem comprehendendi
iubet. Illa, vt erat, egregie pia, &
Christianæ fidei studio ardens, plu-
rimum se, de hac pro illa aduersa pa-
tiendi

tendi oblata occasione lætari ostendit. At Ioachimus cum forte Arimam venisset certior factus uxorem suam custodiæ traditam, perinde exultauit, vt nihil hoc nuncio iucundius ei fieri posse videretur. Ergo statuit, postquam Pænitiæ atque Eucharistiæ particeps esset factus, è uestigio Yatzuxirum iter intendere, cum diceret hanc opportunitatem complures se annos præstolatum, neque æquum esse vt paratam sibi palmam ab vxore præripi patiatur. Patres mandant homini principio mœrentes Christianos adeat, atque ad sustinendos magno animo imminentes huius temporis impetus & plagas erigat, de omnibus ad se perscribat, successorem suum informet, infantes baptismo initiet, actum demum, Deo propitio, Cacuzayemonem adeat. Omnibus confectis, cum fortè domo abesset Gubernator, Vicarium eius conuenit, rogatque, vt, postquam

in eadem ipse causa sit ob quam socii vincti teneantur, se quoque, dimissa coniuge, vinciret. Negavit Vicarius id se in mandatis habere. Proinde opperiretur dum Cacuzayemō reuerteretur. At ille tres ipsos dies tantopere hominem vrsit, vt pertinaciæ obsequi sit compulsus, eumq; custodiri in carcere, coniugem dimitti iusserit. Vbi se hi Dei famuli simul Christi causa teneri viderunt, enim verò stupentibus rei nouitate Ethnicis, qui in eadem erant custodia, omnibus incessere lætitiis. Fortunæ omnium fisco addictæ, vxore, liberis, seruitiis omnibus à magistratu census, in tabulas relatis atq; primoribus ciuitatis in custodiam datis, ea lege, vt quoties Gubernator postularet, rationem de iis redderent. Interea eo omni tempore vinctis eorumque familiis ab Episcopo, Patribus Societatis, atq; etiam à Christianis Fingensibus & aliorum locorum victum præberi oportet.

oportuit. Ad adiumenta corporum adiungebantur solatia animorum, Antistite, ac Patribus vel litteras ad eos dantibus, vel certos homines, qui alloquerentur, ad eos allegantibus. Unus etiam Sacerdos de Societate sæpius mutato habitu ad eos inuisendos, & pæniten-ia lustrandos Yatzuxitum profectus est, sed multis viis, consiliisque frustra tentatis, non nisi semel ad eum locum in quo tenebantur aspirare potuit. Igitur ipsi vindictam quamvis Sacerdotem cōuenire, eiusque solatio frui perciperent, gratias per litteras egerunt, quod sui visendi, subleuandiq; desiderio tantum laboris subiisset. Interea reputaret, etsi ad ipsum usq; carcerem peruenire licuisset, tamen quod omnia Gubernatorum custodiis arctè septa tenerentur, nunquam ei secum sermonis copulandi copiam fore. ad hoc cogitaret in quod discrimen Patres Nagasachenses, Christianique Yatzuxirenses

venturi essent, si eius aduentus proderetur. Itaque se libenter consolationem suam tanto periculo posthabere, nihilominus quicquid Pater pro sua prudentia, & caritate optimum factu iudicasset, se, qui se (ea fuit eorum modestia) nullius consilii, & sapientiæ esse scirent, in eo acquieturos. Multum inter nostros & Iaponiorum carceres interest, neq; in eos, nisi ex infima plebe, rei contruduntur, quod fontes nobiles, & urbanos, quamuis vltimum supplicium meritos, non sit mos in custodia attineri, sed pro gravitate criminis, aut fortunis, aut exilio mulctari, aut capite truncari, aut si tantum est facinus, & Principi ita placet, ad ventrē sibi sua manu secandū compelli. quod mortis genus Iaponii nobiles decorum, & præclarum rati plurimum frequentant. Mos est Iaponiis carceres construere arctos, & humiles, eosque non muris sed cancellis ligneis, vt ferarum septa aso-

lent

lent circumdare, quibus ne cui cum
 vinculis cominus conferre liceat, al-
 teros etiam cancellos præterdunt.
 ita fit vt vincti aeris iniuriis expo-
 siti, omnibus prætereuntib. specta-
 culo sint ac ludibrio. quibus acce-
 dunt perpetuæ, intentæq; excubiæ,
 & cum maior est victorum copia,
 non datur eis quietis causa recu-
 bandi locus. At Canzuyendonus
 homo inhumanus & crudelis suos
 carceres præter consuetudinem in-
 commodos, ac tetros esse vult. non,
 vt vulgò alibi more receptum est,
 hyberno tempore storeis tegi pati-
 tur, neque æstate media cancello-
 rum fissuras patere, neque verri, aut
 omnino mundari, vt algore, æstu, &
 spurcissimo foetore miseri homines
 grauius macerentur. Ad summam,
 sunt hæ custodiæ incredibilem in
 modum asperæ, & intolerabiles. In
 eiusmodi custodiam tres illi Dei fa-
 muli, tyrāni iussu compacti sunt, q̄,
 vt aiebat, periculum facere vellet,

nam Christiani, qui gladios, & cruces, quibus de medio tolli pulchrū sibi, & gloriosum ducant, tam arden et optarent, diuturni, grauiq; custodia de gradu deturbari possent. At illi contra animo inuicto, & supra humanum modum forti, ac læto hæc omnia perpeffu aspera, adhæc conuitia, sannas, minas, ludibria victorum Ethnicorum atque aliorum deuorant. Quid, quod summum uotorum quæ Deo assidue faciebant, erat, ut sibi ærumnas, quas paterentur, & patiendi amorem augetet, id quod constat ex litteris, quas ad complures dederunt, in quibus se peccatores, & tanto Dei beneficio indignos profitentur, sed præcipuè ex iis quæ datæ sunt ad P. Viceprouincialem, quas in extrema hac relatione collocauimus. Dei prouidentia, & voluntate factum est ut transuerso repagulo ab Ethnicis discluderentur, quo commodius cum comprecari, & cum
Chri-

Christianis qui eos inuisebant, agere
 liceret. Posuerunt ibi varias imagi-
 nes, & ante alios Michael libellos
 nonnullos sacros, & vitas Sancto-
 rum in epitomen ab se redactas af-
 ferri iussit, quatinus in re multum studii
 iam inde à conuersione sua posuit,
 quod diceret libros se parare, quo-
 rum magisterio, & alloquio persecu-
 tionis tempore ipse, aliique vteren-
 tur. Tempus omne diurnum no-
 cturnumque longis de diuinis re-
 bus commentationibus, colloquiis,
 lectioni rerum spiritualium imper-
 tiebant. Prima luce vero, quo tem-
 pore Sanctissimum Missæ sacrificiū
 fieri solet ad nostra templa conuer-
 si, Spiritu ei attendebant, exemplo
 Danielis Prophetæ, qui apud Babi-
 lonios captiuus apertis fenestris, &
 Hierosolymam, vbi erat sacrificii
 locus spectans ter, quotidie Deum
 precabatur. Seruabant statis heb-
 domadæ diebus ieiunia, & in loco
 tam angusto atq; incommodo sepe
 tamen

tamen, ac diu flagris se cædebant, aliisque in se pœnis animaduvertebant, non sine admiratione aliorum victorum. Præcipuum tamen Ioannis Ingorò studium fuit, qui primum Deo gratias agebat quod ob cõfessionem suæ sanctæ fidei esset in vinculis, qua in re votis suis ac precibus esset obsecutus. Deinde hanc sibi gratiam fieri postulabat, vt Dei causa quemuis laborè, contumeliam, ac pœnam, atque adeo mortem sustinere liceret. Tum vt quamuis peccatori, atq; indigno per merita pretiosissimi sanguinis Iesu Christi sibi concederet, vt coniux ac filius victis, huius persecutionis malis, vnà secum martyrii palmã reportarent, adhæc instabat pro concordia, amplificationeq; Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, proque Romano Pontifice communi eius Pastore, quem pro tali agnosci ab omnibus gentibus, & honorari cupiebat. Item pro incolumitate, & quiete

delium

delium omnium, qui per orbem sint
 dispersi, pro propagatione fidei no-
 stræ in regnis atque oris omnibus I-
 dololatrarum, seorsim verò pro Ec-
 clesia Iaponensi, atque imprimis
 pro Episcopo, Religiosis Societatis
 Iesu, proque omnibus, qui in ani-
 morum salute procuranda versarè-
 tur. Pro Hæreticis etiam ut eos
 ad sinum Sanctæ Ecclesiæ Deus re-
 ducat, proque omnibus qui lethali la-
 be sint contaminati, denique pro a-
 nimabus quæ igne purgatorio tene-
 rentur, ac denique pro aliis necessita-
 tibus. Hanc precandi formulam
 nullo die intermisit. Multos Ethni-
 cos qui in eodem carcere morti ad-
 dicti tenebantur baptismo expiarunt,
 qui, cum ducerentur, gestiebant sc-
 licet, quod æternam vitam cum hac
 misera se commutaturos sperarent.
 Eorum consilio Christiani Yatzu-
 xirenses ad vicinas Patrum sedes
 confessionis gratia se conferebant.
 Magnam aduersus debiles, & spiri-
 tualis

tualis opis indigos Christianos curam adhibebant, eos ad se accersebant, salutaribusq; consiliis ac monitiis imbuebant; at illi, vt cæteri fideles, eis obtemperabant, eosque in Patrum ac magistrorum loco ducebant. Igitur ad carcerem perinde, atque ad Ecclesiam concursus fiebant. Neq; erat qui aut obfisteret, aut turbaret; siquidem Canzuendonus, quo magis Christianos premeret ac vexaret, imperarat, vt eorum impensis vincti custodirentur. at Deus hoc nouum crudelitatis genus ad singulare nouelli illius gregis solatium, fructumq; cælestem vertit. Ioachimus grandior natu, ac valetudine imbecillior in grauē morbum est lapsus. id simul P. Rectori Collegii Arimensis gnatum fuit, ex templo sacerdotem rusticano habitu eo mittit, qui ægrè tandem se in custodiam penetrauit, in qua æger dormiebat; ergo expergefactus, ac de Patris accessu admonitus, Deo prou-

providente mentis plane compos
reperitus est, cum ad eum diem mul-
tum ab ea discessisset. Pater cum i-
psi duobusque sociis, tum Christia-
nis Yatzuxirensibus, atq; etiam in
oppidis Vto, & Cumamoto eius-
dem regni Fingensis, confitentibus
operam dedit. Eo Arimam reuerso
æger VII. Kalend. Septemb. anni
MDCVI. è gemina custodia exce-
sit, cum in carcere sesquiannum e-
gisset. cæterū cūm vereretur, ne, vt
acciderat, iterum exiret de mentis
potestate, schedam reliquit, in qua
sua manu profitebatur sponte se,
quod Christianus esset carcere cu-
stodiri, paratum pro suæ fidei insti-
tutis, quæcumq; fingi possent, tor-
menta, ac mortem ipsam perpeti. si
quid dixisset, essetue dicturus dum
apud se non erat, aut futurus non
esset, scire se omnes velle, delibera-
tum sibi esse & porro futurum, pro
Christi fide occumbere. qui non ita
multò post, cum animo optimè
compe-

tentem, ad cælestem felicitatem, vocavit. Aliud scriptum quo ad idem exemplum testificabatur Arimæ reliquit, cum suis sociis manus iniectas esse cognovisset. Gratias Deo immortales debemus, qui huic suo famulo tam fortunatum exitum indulgit, quæ res mirificam Ioanni, ac Michaeli lætitiâ attulit, facesque admovit, cum eam tranquillam portum tenere cernerent, nequæ minus apud cæteros Christianos valuit, qui cum permissu Gubernatoris corpus arca conditum in communi primum fidelium cœmeterio sepelivisset, triduo post noctu clam sublatum nauigio ad Ecclesiam Arimensem peruexerunt. Per idem fere tempus, cum Canzoyendonus Yatzuxirum venisse, illato fortè ab administris sermone de duobus vincetis, qui supererant, negavit se scire quid his hominibus faceret. si enim viam adimeret, gauisuros quod, fidei causa eam amitterent:

fin in

sin in custodia relinqueret nihilominus lætos futuros, & magistrorum, atque Euāgelii prædicatorum, contra suum decretum, officio functuros. Igitur non aliud sibi consilium suppeteret, quam vt ædificato in regione aliqua deserta carcere omnibus cæli incommodis vndique peruiso, fame & frigore eos de medio tolleret. Atqui, Domine, subiicit quidam ex eius hominibus, Christiani Seruatorem suum memorant quadraginta ipsos dies in solis locis in ediam tolerasse. Hi igitur vincti, vt sunt eius imitandi studio incensi plurimum in hoc genere mortis acquiescent. Quo cognito, acerbiori etiam in eos ira efferuescens, edicit vt, quo ad huc modo fuissent, dum viuerent, capti seruarentur. Nouam præterea, de custodiendis carcerebus, legem tulit, militibus pro oppidanis, quibus antea id negotii erat, excubare iussis. qua remirum quantum vberior data est Dei famu-

C

lisacer-

lis acerba sufferendi, & gratiam apud Deum ineūdi materia. Quamdiu enim id munus penes ciues fuit, vt plerumq; ad Christianos, & nonnunquam ad propinquos pertinebat, nonnulla libertas vincētis erat, nulla à militibus Ethnicis hominibus, qui S. Ignatii custodibus gemelli erant, quibus cū benefeceris, peiores fiunt. quapropter litteras, quæ vltro citro perferebantur, ne ab iis interciperentur, necesse fuit cibus, qui ipsis ministrabantur inferere. Sed Ioannem, velut alterum Iob, vxor, quippe iuuenis, externa, ægra, & à magistratu re omnisexuta, v̄ vehementer tentabat, exercebatque. sæpe illa lachrymans miseria suas exponebat marito, & iniurias, quibus assiduo eius gratia afficeretur, quòd, cū non deessent alia ad Dei gratiam, & salutem viæ, hoc ætatis degendæ genus, & Giffiaci munus esset amplexus. At ille nihil his rebus moueri, coram &
per

per litteras patientiam, & constantiam suadere, Dei tutelæ, providentiæq; eam credere, queri quod nihil eius ardoris, & animi in ea comperiret, quo Michaelis & Iochimi coniuges incitatae, sanguinem vnâ cum maritis pro Christo profundere gestirent. Hanc mentem quòd minus ei Deus iniiceret, suis peccatis assignare: tanto deniq; illam impensius Deo commendare. Aliam patiendi occasionem periculosa inualetudo attulit, quo tempore regii administri ancillâ ei ademerunt, quæ seruitiis omnibus fisco addictis, vna reliqua erat, & necessarium Domino victum ministrauerat. Ea re fiebat vt totos sæpe dies cibo careret. Sed nimitum extenuato debilitatoq; corpore, vis illa cælestis animi, & grauiâ perpetuendi amor altero tanto augebatur. Ergò, postquam pedem in custodiam intulit, nunquam interdium somnum cepit, nunquam vllum eorum,

quæ supra persecuti sumus, pietatis officiorum, sanctorumq; exercitiorum intermisit: nunquam de remedio, aut medicorū ope ad morbum depellendum quærenda verbum fecit. Dissentiebat in hoc Michael, quamuis ceteroqui vnum vtrique propositum esset pro Christo, gloriaque diuinæ amplificatione extrema omnia experiri. Ioannes ita censebat, satis esse in vna diuina prouidentia acquiescere, humanis remediis solatiisq; repudiatis. se enim sibi videri, qui ob fidem sit in custodia, in eadem esse causa, atq; militem, qui prælium sit ingressus. Vt enim huic turpe sit curandi vulneris causa, quod forte acceperit, acie excedere, in qua illi potius, si militarem disciplinam, fortisq; militis nomen tueri velit, occumbendum est: ita se putare aduersā valetudinem, rerumq; necessariarum penuriam plagam esse sibi, Dei amore dimicanti, impositam: igitur
remc-

remedia nunc, & medicamenta
 persequi, perinde sibi videri ac si per
 summam ignauiam, & animi molli-
 tiem prælium deserat. Id postquam
 ad P. Ioannem Baptistam Baezzam
 Patrem eius Spiritualem, à quo ba-
 ptismo, cum multis aliis Yatzuxi-
 rensis initiatus fuerat, perlatum
 est, mandari homini iussit, quamdiu
 Deus illi vitam propagaret, con-
 suctis opibus, ac præsidis valetudi-
 nem suam recuperare, & tueri stu-
 deat. Deinde, quando quidem res o-
 mnes necessaræ à Societatis homi-
 nibus ei procurentur, nihil reiiciat,
 neque earum abstinentia necessita-
 tem subeat moriendi. Idem ei per
 Ioachimum Michaelis Patrem præ-
 cepit. At Ioannes, qui omni in re se
 ad Dei voluntatem accommodare
 studebat, proq; incredibili mode-
 stia, minimum suo iudicio tribue-
 bat, per amicum quendam suum,
 qui ei in Giaffiachi munere succes-
 serat, ad P. Ioannis Baptistæ litteras

C 3 respon-

respondit in hanc sententiam. Sum-
mopere, vt sæpe testificatus sum, cu-
pio decora aliqua pro Christo mor-
te defungi, siue morbo, siue fame, si-
ue frigore. Deumq; assiduo precor,
vt alicuius harum gratiarũ compos
fiam. quare si ex inualetudine, aut
rerum egestate qua premor grauio-
rem dolorem accipiam, aut vitæ de-
siderio has & similes ærumnas quo-
modolibet deuitare contendam,
magnopere vereor, ne, quæ est mea
ad peccandum procliuitas, tentati-
onis alicuius discrimen ad eam, aut
aba lienato â quoquam animo, com-
mouear, atque perturbet. Idcirco
facilius, ac tutius existimo à Dei vo-
luntate, ac prouidentia totum pen-
dere. non tamen ideò asperror quæ
pia liberalitate datur, aut mittuntur.
insuper ancilla coniugi etiam meæ
reddita me inuisit, necessariaq; sug-
gerit, & ad pristinas vires magis in-
dies magisque redeo, multumque
splenis dolor lenitur: tametsi ad P.
Ioan-

Ioannem Baptistam scriptum erat, prope me à morte abesse. Et quoniam singillatim de mea valetudine erudiri cupit, narrabis, cum me amici viderent in vitæ discrimen adductum, auctores fuisse, vt medicamentis, & cauteriis vterer. Ego verò, qui, quam parum iudicio valeam facile intelligo, cum à Canzuiendono eo consilio clausus tener, vt periculum faciat, possimne cupiditate has ærumnas euadendi, de sententia dimoueri; plurimum his aliisque aduersis Christi causa perferendis recreor, atque reficior. Sic igitur iis qui suadent, vt medicamentis valetudinem curem, respondeo, sicque penitus cum animo meo sentio: si antequam caperer, remedia, vt cæteri mortales solent, vsurpabam, quid huius sæculi homines dicent, si quando Domini nostri causa vinctus sum, idem faciam? & quamuis reum me esse sentiam, postquam tamen in hanc pro fide dimicationem

veni, Deum etiã atque etiam rogo, vt animum meum sua vi corroboret, quò ærumnas, iniurias, & eorum, quibus vita sustinetur, inopiam sedatè ferre possim. denique totum me Dei arbitrio permitto. Michael contrà curandæ valetudini, & viribus ad plura ferenda, sanguinemq; fundendum instaurandis potius vacandum censebat, quam vt per necessariæ curationis, refectionisque negligētiam vita deseratur. Præsertim cùm Canzuyendonū certū esset ad vltimū vtrumq; necari iussurum. Anno MDCIII. cùm Ioannes Corozaymon, & Simon Gofioye, cùm suis familiis, ob Christi martyrium, perempti sunt, tres erant Yatzuxiri Gubernatores: Cacuzayemon de quo supra memorauimus: Noyri Fachiyemon homo flagitiosus, crudelis, & huius persecutionis auctor: denique Caniye Iofioye, qui cùm Christianos, præter fas omne, tam miseris haberi modis

dis

dis videret à Principe, eorum misericordiam capiebat. Fachiyemoni, qui iusto Dei iudicio, vt observarunt Christiani, repentino interitu mactatus est, successit in magistratu filius Noyri Quiuzo parenti longè dissimillimus, quippe vt est prudens, & humanus comitem se Collegæ suo Caniye in miserandis tuendisq; Christianis adiunxit. Hic Caniye tandem constituit cum Canzuyendono agere, vt Ioannes, & Michael absoluerentur, aut in exilium mitterentur, aut certè, ne inter tot cruciatus ætatem in carcere exigerent, capitis damnarentur. Et quoniam homo barbarus nullum pro quocquam deprecatorem ferre potest, opportune de statu omni Yatzuxiti differere exorsus, ac varia persecutus, tandem ad vincos etiam, & crimina, quorum arcesserentur, delabitur, atque ad extremum diuturnam molestamq; eorum custodiam commemorat. Quæ fuit deinde,

C 5 quid

quid eis fieri vellet ! cui ille: Iube, inquit; vnà cum filiis capite plecti. Ferunt etiam, coniuges occidi imperasse, sed eiusdem Caniye precibus abductum à sententia. Ioannes & Michael hoc nuncio, qui extemplo ad eos ab amicis allatus est, mirificè læti, litteras dant ad complures, eosque valere iubent: nonnullos, qui fidem abiecerant, vt redeant ad mentem, hortantur: Christianos Yatzuxirenses ad constantiam, ac fortitudinem, atq; in primis coniuges, ac liberos ad proximum martyrium inflammant.

III. Idus Ian. Bongio, id est magistratus qui reis ducendis, ac puniendis præest, vinctis denunciatur quãprimum mori sint parati. Percunclanti Michaeli quo mortis genere? ceruices, inquit ille, vobis abscindentur. Excipit alter, quandoquidem vitam pro Christo eiusque fide tuenda damus, iucundius nobis foret Seruatoris nostri exemplo
illam

illam in cruce finire. At hoc est, inquit Ioannes, honestius mortis genus, quam ut nobis conueniat. præstat immaniter excruciatos. contusos, & minutatim in frustra dissectos emori. Fietis, inquit, Bongio huius voti compotes. id eò dixit, quod negotium à Gubernatoribus ei datum esset, ut obruncatorum corpora, ne, ut assolent, à Christianis asportarentur, in frustra conciderent. Neque hoc loco prætereundum est silentio, quòd Michael, cum, uti iam pridem incensis votis optarat, vitam sibi pro Christi fide vi ereptum iri certò confideret, candidam vestem faciendam locarat, quam sibi induit simulac de capitali sententia optatum nuncium accepit. Ea vestis, longaq; cæsaries, ac barba, quam quatuor ipsis custodiæ annis promiserat, iamque, ut qui Deo deuotus sacerq; esset, tondere religioni ducebat, multum illi conciliabant dignitatis. Quia verò satis sciebat coniugem

iugem, parentem, familiam vehementer eiusdem secum Martyrum coronæ participes esse cupere, vetuit ne ad supplicii locum accederent. si enim eos Canzuyendonus morte damnasset, se eos accersi iussum, nunc cum eis moriendum non sit, satius esse ut se domi teneant, Deoq; suum exitum commendent. Destinarant Gubernatores eos secretò tollere, quod vererentur, ne propter pietatem atque obseruatiã, qua illos Christiani prosequerentur, aliquis populi motus existeret. Verum breui tota vrbe rumor incessit, magnique sunt ad carcerem hominum facti concursus. Ibi imperat Bongio, ut recepto in Iaponia more, iniecto in collum fune, brachiisque ligatis, è custodia raptarentur. Ioannes, quò grauiorem acciperet dolorem, rogat licetorem arctè se vinciat. quod ille ita fecit, ut inter pressis faucibus, loqui non posset. Id conspicatus
Chri-

Christianus, qui in persecutione defecerat, miratusq; hilaritatem qua Dei famuli properarēt ad mortem, ac mox salutari de sua animi imbecillitate, ignaviaque pudore, & dolore correptus rogat lictorem: Quid ita hominem miserum, iam iamque moriturum tam arctē constringat, miserisque habeat modis? Lictor quidem ad eius verba aures non aduertit, cæterum vnus è ministris quærit, siue ipse quoque Christianus? At ille talem se publicè professus, noua confessione veterem culpam diluit. Martyres, dum è carcere egrediuntur, gratulabantur Deo, quod tam diu ab se exoptata hora tandem aliquando aduenisset. Salutarunt propinquos, amicos, aliosque fideles, omnibusq; de beneuolentia, & officiis caritatis, quæ ab iis in se essent profecta, gratias agebant. Incedebant taciti oculis incalumintentis, factisque persequabantur, quod facinorosis solebant præci-

præcipere, vt mortem æquo animo ferrent, velut pœnam suis sceleribus expiandis decretam: vt silentio hoc agerent, Deo animas commendarent, precarenturque vt eas cælo velit recipere. Michael vt erat audus moriendi, & cum Christo degendi, tantopere gradum accelerabat, vt licitor, qui funem manu tenens pone sequebatur, non tam ambulare quam trahi videretur. Ioannes morbo iam fractus, & acri faucium cruciatu pressus, lentius cogebatur incedere. Eodem tempore Rei capitalis Præses Thomam Michaelis duodecim, & Petrû Ioannis filium sex annos natum comprehendit mandaratum. Thomas tum à Patre, etiam cum captiuus teneretur, iamque Martyrii candidatus esset; tum à matre & auo Ioachimo præclarè erat Christianæ fidei rudimentis imbutus. Igitur perhibent quoties ploraret, sedatum esse cum dicerent; si ploraret, & oblectamentum
quæ-

quæreret, non esse idoneum Mar-
 tyrio. Valedixit Matri, Auo, &
 nonnullis pueris sodalibus suis, qui-
 bus, lætitiæ suæ declarandæ, numif-
 ma æream dedit, quo lusitare erat
 solitus, tum verò cultiore suo orna-
 tus vestitu, perinde ad martyrii lo-
 cum, quasi ad solemne epulum pro-
 fectus est, vno è lictoribus, quò citi-
 us perueniret, manu ducente. Ille
 autem, qui tempori aduenire percu-
 peret, vt vnà cum suo Parente oc-
 cumberet, ducem etiam vt festina-
 ret vrgebat. Patrem extra oppidi
 portam Ioannem opperientem of-
 fendit. Michael hoc filii occursum
 valdè lætus, magis etiam exultauit,
 cum accommodata ad tempus ora-
 tione cohortanti ita respondit: Mi
 pater, habe de me quidem tranquil-
 lum animum. Nam fidei causa ani-
 mo longè lætissimo mori patior.
 quem ille excelsum, fortemque fi-
 lii animum collaudauit. Petrus pu-
 er nusquam comparebat. & tamen
 Bongio

Bongio, quod ita à Gubernatoribus
erat imperatum, ea quam diximus
de causa, ceteros tollere de medio
maturabat. Iubet ergo carnificem,
priusquam ad consuetum locum
veniat, in campo, in quo iam for-
tè tres Martyres constiterant, par-
tes suas agere. Id quod diuinitus ita
provisum est. videlicet ne horum in-
nocentium hominum sanguis cum
fontium sanguine in consueto loco
mischeretur, utque casus esset Chri-
stianis eum, ut deinde fecerunt,
colligendi. Initium à Michaelē fa-
ctum, cui submissis genibus Deum
precanti vno ictu amputatum ca-
put. Ad Thomam deinde ventum,
quem, ne parentis conspectu per-
motus expauesceret, aliò seducere
cogitabāt: at ille abnuī, quò dice-
ret iuxta parentem mori se velle. cu-
ius morti neq̄ illachrymatus est, ne-
que signum vllum tantillus puer
mœstitiæ dedit. ergò, cūm procidisset
in genua, animo plus quam vizi-
li, &

li, & ridenti vultu ceruicem acinaci porrexit. quoniam verò ex altero brachio laborabat, neq; iunctas manus poterat attollere, quantum potuit. ægro brachio ad sanius admoto, Iesum, & Mariã implorauit. tum primo ictu recisum caput in terram defiliit, ad idem exemplum & Ioannes obtruncatus est. Desiderabatur eius filius. in mora fuit, quòd tum fortè non in matris, vbi quærebatur, sed in aui ædibus esset, quæ non modico interuallo absunt à loco, vbi supplicium de iis sumptum. Diuinò planè id cõsilio accidit. nam vt mater eius longè erat minus quam Michaelis coniunx pia ac fortis, ita verendum erat, ne mariti nece, atq; etiam multo magis filii, qui eodem vocaretur, perturbata, ea faceret diceretque tali tempore, quæ pueri etiam animum perturbare possent, ac frangere. Confirmant, qui eum norunt, tametsi sextum annum necdum expleisset, vsu tamen iam ratio-

D

nis;

nis, quantum satis esset, prudentia, & propensa ad virtutem indole valuisse. In summo desiderio parenti fuit Deo illum sacrificare. quare satis gnarus, se Canzuyendoni iram minimè euasurum, sæpe illum accersebat ad carcerem, paulatimque informabat ad martyrium. Cum paucis antè diebus cognouisset lata sententia parentem addictum morti, ita locutus fertur: Bene habet, quod eum tandem è viuis tollere festināt. nimis iam longum est, cum in carcere pænas dat, neque est qui victum administret, me quoq; , sat scio, neci dedent, eò quod sim Christianus, idque mihi volupe est, quia martyr euadam. Vbi lictores in domum aui peruenerunt, sanctus puer somnum capiebat. experrectum sui aduentus causam edocēt. tum verò extitit in eo animi maturitas, constantia, vultus orisque serenitas tam inusitata, tamq; supra captum ætatis, vt Deus quo gloriam suam

MARTYRIB. IAPON. 51

suam magis amplificaret, fideles suos ad virtutem accenderet, Ethnicos doloris ac pudoris impleret, in eo singulare suæ omnipotentiae documentum dare voluisse videatur. Postquam ad Martyrii locum peruenit, cum suum Patrem, Michaelem & Thomam iam Martyres, ut post narrabo, concisos aspiceret, nihil eo spectaculo motus, in humum etiam madentem, ac tepentem paterno cruore abiicit se, ac simul gladium vagina eripi sensit, nullius admonitu, caput subrigit, præbetque ceruicem. tum iunctis, quas solutas habebat, manibus, semetipsum velut innocentem agnellum victimam offerens Deo, immotus, atque impavidus lethalem plagam præstolatur. Sed nimirum ea species, usque eò carnificis molliuit animum, ut ense vaginæ reddito, negaret, ut tam mirificum puerum percuteret animum se posse inducere, neque minus se idem facinus refugere, rei-

D 2 que

que spectaculo commoueri duo milites, ex apparitoribus, alter post alterum præter consuetudinem testati sunt. quippe qui cæteroqui, quo in bellis certius, validiusq; hostem ferire condiscant, hanc idoneam palæstram rati, auidè inprimis omnem talis ministerii occasionem amplecti solent. Et tamen nemo erat ex omnibus, qui à se impetrare posset, vt hunc animosum puerum necaret. Cum ille interea nusquam se commouens omnium intuentium animos miseratione, & admiratione completeret. Ad vltimum homo quidam seruus è regno Coraiano, cū ferre diutius non posset, puerum illo habitu tam diu expectare cogi, nudato acinace ægrè tertio ictu caput resecuit à cervice: cum primam plagam humero imposuisset, humique afflixisset. siquidem & ipse repentina trepidatione, & pauore oppressus, non videbat quid ageret. Bongio, vt Gubernatoribus

bus

bus morem gereret, Thomam, & Michaellem vno ictu medios diuidi imperat: Ioannes gemino ictu in tres partes sectus. Petrus puer integer relictus. Confluxerunt ad spectaculum multi Christiani. quos inter nonnulli metu persecutionis latebant, nonnulli etiam per ignauiam à Christo descuerant. Sed iam sanguine Martyrum ad pristinam vim animi reuocati, vna cum cæteris fidelibus Bongio orarunt, vt bona eius venia sacra corpora in communi suo cœmeterio humare liceret. Homo Ethnicus, qui metueret, ne postmodum ea deportarent aliò, ægrè se principio exorari patiebatur, ad extremum tamen precibus locum dedit. Ergo euestigio Ioannes & Petrus simul vna, Michael, & Thomas seorsim singulis storeis inuoluti, vt tempus, ac locus ferebat, honestè decenterque sepeliuntur. Nemo satis aut explicare narrando, aut laudando ornare possit Christi-

D 3 anorum

anorum in colligendis in ore hominum infidelium, Martyrum reliquiis ardorem. Non illi guttam sanguinis, non quicquam eo tinctum relinquebāt: humum, in quam defluerat, radebant, adeoq; ipsos etiam eorum ungues præsecabant. Ethnicos, postquam hos Christi milites en mo tam hilari, atque intrepido mortem adeuntes, Christianos tanta caritate, ac pietate iusta corporibus solventes, reliquias tanto studio, ac veneratione colligentes viderunt; pudebat nimirum sui, pigebatque, ac iam demum liquere aiebant non alia ac Christi religione æternam salutem parari posse. neque enim fieri aliter potuisse vt hi homines tantas tam diuturni carceris ærumnas, ac denique necem ipsam subirent. Ipsi Idololatræ Petri pueri indolem, atque constantiam humano captu ma orem, planeque cælestem fuisse prædicabant. Ipse Bongio, qui huic supplicio præfuit, non dubi-

dubitauit confirmare: hos demum
 rectam ad salutem viam repperisse:
 & quoniam vni è lictoribus (vt pe-
 riculi faciendi causa Iaponii non-
 nunquam solent) acinacé suum ac-
 commodauerat, negauit se dignum
 esse, qui illo in posterum accingere-
 tur. Inmò Cacuzayemon arcis
 præfectus, & supremus Yatzuxiri
 Gubernator nonnullas Ioannis, &
 Michaelis reliquias è capitibus ac-
 cepisse dicitur, non pietatis quidem
 studio (est enim purus purus Ethni-
 cus) sed nobilium quorūdam Chri-
 stianorum amicorum suorum ro-
 gatu. quanquam egregia erat eius
 de his duobus Martyribus existima-
 tio. Bongio capita Martyrum pe-
 rinde ac facinorosorum hominum
 ad portam oppidi orientalem quat-
 tuor hastis præfixit, apposita tabella,
 in qua Iaponensibus litteris senten-
 tia perscripta erat. Latinè sic reddi-
 tur. HOS, CVM ESSENT CHRIS-
 TIANI, PROQVE TALI-
 D 4 BVS.

BVS PALAM SE GERERENT,
ET CHRISTIANOS, QUI DE-
FECERANT, CONTRA AC VE-
TITVM ERAT A CANZVY-
ENDONO, REDVCERENT, I-
PSE, QVO CETERIS EXEM-
PLVM STATVERET, CAPI-
TIS DAMNAVIT. Manserunt
capita affixa multos dies, cùm in-
terea ne auferrentur à fidelibus, di-
ligenti custodia seruarentur: atque
ad eundem modum sacra corpora
custodiebantur. Iamq; Christianis
spes omnis ea recipiendi erat erepta.
quando Deus iuueni cuidam Chri-
stiano ciui Cumamotensi, cui Leo-
ni nomen, vehemens desiderium
iniecit, ea in tutam aliquam Christi-
anorum oram transferendi. Id
consilium cum P. Ludouico aperi-
ret, valde ille quidem laudabat, sed
quindecim, aut viginti dies præsto-
landum censebat, vti cum Christia-
nis Yatzuxirensibus conuenisset:
fore enim vt sublati, custodiis res
absq;

absq; vlllo Christianorum periculo transigi posset. Verum Leo se à sententia abduci non sinebat, cumque patrem flecti non posse sentiret, in præsens dissimulato consilio, sibi hominis sententiam probari ostendit, ac nihilominus confestim ita discedit, vt qui cogitata sua persequi deliberatum habeat. Postquam Yatzuximum attingit, de loco in quo iacerent corpora edoctus, rem cum quattuor militibus amicis suis communicat, atque ab iis silentii fidem, & opem exigit. Parato in litore nauigio ad cœmeterium se cōfert, sacras reliquias effodit, atque vt erant storeis inuolutæ, in equum suum imponit. equus vt erat sarcinarum insolens, quasi intemperis agitatus circumcursare cœpit per cœmeterium, & complura sepulcra partim Ethnicorum, partim Christianorum effringere. Id verò, Deo bene vertente; sic euenisse constat, ne vulgato iam furto, Christiani Ya-

D 5 tzuxi.

ezuxirenses eius culpam sustine-
rent. hos enim non ignorabant, re-
clè, vbi conditi essent Martyres, te-
nere, vt proinde necesse non fuisset
Ethnicorum sepulcra adire, & de-
tecta relinquere. Deniq; reprehen-
sum ex fuga equum sacris onerant
corporibus. iamque per medium
oppidum, arcem versus, iter erant
ingressi, cum ecce tibi domos quas-
dam ardere conspiciunt. hic verò
Ethnicos milites metus intravit, ne
ab iis, quos, verisimile esset ad
relinguendum incendium prodi-
turos ex arce, res ipsas furtiuas præ-
manibus habentes opprimerentur.
quare iam eas in proximo præterflu-
ente recondere, & sequenti nocte
repetere conceperant. At Leo Dei
fiducia plenus, equo stimulos sub-
iicit, miraculum interpretantibus
comitibus, quod albente iam pro-
pemodum calo, in tali oppidano-
rum trepidatione nemo homo oc-
curreret. & quanquam nauigium,
quod

quod paratum erat, non plus vnum nautam haberet, tamen, quia cum alia naui permutari tempus non sinebat, eodem traiecit Yananghi, qui locus extra Canzuiendoni ditionem positus non nisi à Christianis habitatur. Hi consilio cum patre, qui Conzuræ sedem habet, habito, loco interdum explorato, postera nocte quàm à Leone res perfecta est, sanctum hoc furtum perpetrare, atq; vnum sibi corpus retinere consensu decreuerant. quanquam ergo dolerent, tam pii atque ad gloriam Domini nostri tam præclari facinoris laudem sibi præreptam esse, tamen omnes effusi ad mare, sacrum illum thesaurum solemnem pompa venerabundi exceperunt, atque in commodiorem & ampliorem nauim impositum, frequentes cum Leone Conzuram vsque sunt profecuti. Christiani eius loci, aduentu sanctorum corporum cognito, multa lætitiæ signa dederunt. *Ac tametsi*

tametsi Arimensi Collegio destina-
ta erant, tamen ipsi vnum penes se
retinere penitus statuerunt, Leone,
qui omnia quattuor Arimam se per-
uecturum receperat, abnuente, &
Patrem, vt eos ab incepto deterre-
ret, orante. At illine Patri quidem
dicto audientes erant, cum dicerent
se si aliter faciant in Deum offensu-
ros, & male cultæ pietatis apud ce-
teros fideles notam subituros. Igi-
tur Leo facere non potuit, quin cor-
pus eis Petri pueri relinqueret, ce-
tera Patribus Arimensibus, nono ab
obito martyrio die, sunt tradita.
Tota Arima noua quædam omnes
vulgò lætitia percepit, atque ab o-
mnibus concursum ad nauim. Vi-
sum tamen est non esse interdium
condenda, ne fama popularis con-
cursus Yatzuxirum perlata sæuiti-
am persecutionis augeret. Quare
storeis, quibus cincta erant, ex-
empta, cum nihil dum tetri odoris
haberent, in arcis ad id comparatis
com-

composita, postridie prima luce longo facto agmine, & symphonicis seminarii cantu prosequentibus, circum totum Collegium delata, ac maxima porta in templum inuecta, & in parato ad id tabernaculo collocata sunt. Deo deinde, cantato Te Deum laudamus, gratiæ actæ, & B. Virgini laudes concentu celebratæ. tum habita concio de sanctorum hominum laudibus, quæ magno omnium applausu, & approbatione accepta est. Post illa, propter aram maximam, honesto loco reposita. Neque verò quamvis magna cura caueri potuit, quin multi primarii homines celebritatem augerent. Pater Rector, ubi corpus Petri Martyris desiderari sensit, vnum è sociis properè Conzuram repetitum dimittit. Et in Patre quidem qui loco præest, cum rationes quæ afferebantur audisset, nihil moræ erat quin redderetur. Sed Christiani tanta contentione obnitebantur,

tur, vt socio, re infecta, abeundum fuerit. Ipsi vero, ne, quod aliis Martyribus vsu venerat, aliò corpus deferretur, quindecim ipsos dies custodes adhibuerunt, ac deinde festum ob eius honorem egerunt diem, quo perpetratum Missæ sacrificium, & verba de eius laudibus de superiore loco facta. Cùm transferretur, immune ab omni tabe, & graui odore, compertum est, stupentibus, atque gaudio triumphãtib, qui ex diuersis oris conuenerant Christianis. Alumnis seminarii, atque imprimis iis qui teneriori sunt ætate, longè molestissimum est Petri Martyris corpore orbatos esse. nos eos interea spe eius aliquando recipiendi consolamur. Quemadmodum, dum sancti Martyres viuerent, data opera est, ne eorum familiis res necessariæ deessent, item & modò, tametsi cum nonnullo nostro incommodo, eadem nostra beneficentia vtuntur.

Vnam

Vnam Michaelis Martyris filiam,
 Christiani, vt Ethnicorum furori
 eriperent, eo tempore abdiderant,
 quo Pater eius est captus. Hanc
 vt conditionem ei quæreremus, A-
 rimam venire iusseramus. Verùm
 Dominus, cuius est illud Prophe-
 tæ: nunquam vidi iustum dereli-
 ctum, & semen eius quæres panem,
 hac nos sollicitudine leuare digna-
 tus est. siquidem vir honestus, &
 locuples eam filio suo vxorem po-
 poscit, & extremam puellæ egesta-
 tem excusantibus, vt cui Magistra-
 tus ne vestes quidem reliquisset, res-
 pondit: hoc vnum, quòd filia esset
 Martyris, satis esse causæ, quam-
 obrem eam cuius quamuis nobili,
 & luculentæ feminæ anteferret. I-
 dem cum esset sponso animus ac-
 sententia, de matrimonio conue-
 nit, Christianis, qui rem cognorunt,
 nullum Dei de ea laudandi finem
 facientibus. Subiunctæ sunt huic
 historiæ aliquot epistolæ, quas illi
 Dei

Dei famuli è custodia dederunt ad homines de societate nostra; simplici quidem stilo, sed Spiritu Sancto plenas, vt legenti non modicam præbeant laudandi Dei materiam. Elucet in iis primùm quædam Fidei constantia, & eximia de Dei celsitudine, ac Maiestate existimatio. Deinde animus beneficiorum, munerumque diuinorum memor, & gratus, simulque per quam demissè de se sentiens Itaq; fontes se appellant semper, & æstimant, atq; ideò spirituales opem Sanctis sacrificiis, & precibus afferri sibi postulant. Tertio incredibile quoddam suam cum diuina voluntate conformandi, ipsique omnib. in rebus obsequendi, atque Patrum spiritualium præceptis, quæ ad id conducunt, parendi studium. Quarto ardens diuinæ gloriæ, ac nominis, Christianæq; fidei propagandæ, atque amplificandæ amor, non solum sanguine profuso, sed etiam fortunis, coniugibus, libe-

liberis, familiis vniuersis Deo immolatis. Quintò Zelus quidam feruens, & de omnium animi salute sollicitus, atque ad hos ad fidem adducendos, illos reuocandos, omnes omni auxilio, consilioque iuandos semper intentus. Itaq; perinde ac S. Paulus vsurpare illud poterant. Quis infirmatur, & nos non infirmamur, quis scandalizatur, & nos non vrimumur, instantia nostra quotidiana, sollicitudo omnium animarum. Sextò propensa in Beatissimam Deiparam Virginem pietas, & certa de eius deprecatione, qua plurimum apud Deum potest, fiducia, quare identidem orabant, vt pro sua in miseros voluntate, hoc sibi à Deo in gratiæ loco postularet, vt, quod postea accidit, vitam vnà cum filiis tuendæ fidei, gloriæq; diuinæ causa ponere liceret. Non est verò prætereundum silentio, quòd circa hos ac superiores Martyres Yatzuxirenses obseruatum est. De-

E

cem

cem anni sunt, cū imperante eti-
am in hoc oppido Augustino Vno-
camindono, in illo ipso cæmeterio,
de quo mētionem fecimus, circum
crucem quæ defixa stabat in medio,
aliæ partim grandiores, partim mi-
nores cruces pluribus diebus sunt
visæ. Cuius miraculi Christianos
multos & Yatzuxirenses, & aliunde
certatim videndi causa profectos,
testes fuisse fama magno consensu
refert. Negant igitur for uita, aut
vana fuisse hæc visa. videri enim vn-
decim illos Martyres portendisse,
qui deinde Yatzuxirensi Ecclesiæ,
Dei munere, sunt concessi. videlicet
hos quinque qui aliquantisper in
hoc cæmeterio depositi iacuerunt,
& sex superiores, è quibus quattuor
crucem pertulerunt. Itaque spes
est, horum intercedentibus pre-
cibus, plurimum in hoc op-
pido Crucis gloriam am-
plificatum

iri.

DE

RELATIO DE MARTYRIBUS.

*Quo per idem tempus Firasse
in Regno Saffumano per functus Leo
Xichyemon, iussu Fongò Cangono-
cami eius loci Reguli, occu-
buit.*

ERAT Leo miles nobilis patria Ionayensis in idem ex eodem regno, annos natus vnde quadraginta. cum ad huc esset Ethnicus, rationem, quantum poterat, in degenda vita ducem sequebatur. Simulac baptismo initiatus est, totum animum ad pietatem appulit. Igitur Christiano cuidam amico suo identidem aiebat. Equidem nescio, Paule, qui fiat, quòd intermittere me non posse sentio, quin Deum precer, aut de rebus agam ad æternã salutem conducibilibus. Quod si idem Paulus hortaretur hominem, vt, animi honestè relaxandi, fidibus, aut voce caneret, Amabo tẽ, aiebat

E 2 bat

bat, ne conteramus tempus his ludicris. quin potius de quattuor nouissimis, & altera vita inter nos colloquimur. Vxor Ethnicismi tenax, cum pati non posset maritum totos dies precando consumere, vitam scilicet illi acerbam faciebat. Erat in eo mirifica comitas: ingenium mansuetum, ac modestum: parcus verborum: vitiorum, flagitiorumq; hostis, quæ ita carpere erat solitus, ut beneuolentiam, suauitatemque misceret. Quid plura? Satis apparebat ad palmam Martyrii destinatum esse diuinitus, qua quarto à baptismo mense, quemadmodum narrare aggredimur, ornatus est. Merebat Leo apud Fongò Canganocami Firafsæ Tonum siue regulum hominem Idolis ante alios deditum, & à nostra sancta fide vehementer alienum: atq; ab eo militari munere honesto, & stipendio, quod illi responderet, auctus fuerat. Comperto talem equestri ordinis virum

virum Christiana sacra suscepisse, per magnæ auctoritatis viros, qui eius negotia sustinebant, pertentare hominis animum, atque ad defectionem sollicitare cœpit. Quibus Leo excelsio animo: se quidem, respondit, fortunarum, ac vitæ iacturam facere paratum esse, quocunque tempore Domini sui rationes ita postularent: Fidem Christianam, quæ vna sit ad æternam salutem via, nullius se causa deserturum. Fongò postquam id accepit, censuit homine meritum esse ut capite pœnas persolueret. quippe qui sua iam pridem familiaritate usus, & miles nobilis, suo inconsultu sacra mutasset. Quare, si ad execranda, ac repudianda quæ nuper complexus esset, videretur flecti nō posse, vita expellerent. At Leo omnes primorum illorum quamuis acres impetus, & petitiones vno hoc responso vitabat. Idem fuit propinquorum, & primariorum mili-

tum amicorum, & contubernalium
eius studium, quibuscum quoniam
sub Fongò multa stipendia fecerat,
cupiditate eius seruandi, tres ipsos
dies, qui inter latam à Tono senten-
tiam, & Martyrium intercesserunt,
sanequam valida, ac continua im-
pressione ipsius animum expugna-
re sunt conati. Orabant vt aut im-
perata faceret, aut certè re ipsa
Christiana instituta teneret, verbis
se in Reguli potestate futurum si-
mularet. Ipsi adeò se ostendebant,
etsi ne verbo quidem sententiam
mutaret, tamen adire Fongò, atque
ipsum imperii audientem esse velle,
de suo mentiri paratos esse. Ita e-
nim fidem simul cum vita retineri
posse. & si hac procella defunctus
esset, aut aliquem pacandi homi-
nis, aut in alias terras excedendi lo-
cum futurum, ad omnia operam su-
am profitebantur. Subridens ad
hæc consilia Leo. Vestra, inquit,
Domini, quam mecum colitis ami-
citia

citia, vt video, ad hanc duntaxat vi-
 tam pertinet, cum ego de æterna co-
 gitum. Equidem veri, & omnipo-
 tentis Dei mei bonitate fretus, de-
 cem me cælorum orbis superatu-
 rum esse confido: vos ad inferorum
 loca, vnde ad me aspirare vobis ne-
 fas erit, ruitis præcipites. Audacter
 profiteor, me velut eximium & glo-
 riantum decus, Christianæ fidei
 causa, mortem ambire, vt si eam
 Regulus cum exilio commutaret,
 incredibili dolore conficerer. Quod
 ad rationem verò attinet, quam in-
 undam putatis, vt Christiani nomē
 simul & vitam tueri possim, videte
 etiam, atq; etiam, ne ea apud Regu-
 lum vtamini. Quod si feceritis, pol-
 liceor me appensa ex collo corona
 precatoria, in conspectum eius ven-
 turum. Ibi me Christianum esse, &
 porrò manere velle, & qui aliud de
 me dixerint, mētiri testabor, atq; ita
 vos huius vanitatis accusabo. Neq; enim
 disciplina Christi, quam se-

quor, eiusmodi ignaviã, & tergiver-
sationes potest concoquere. Neque
verò video, rebus in hoc discrimen
adductis, qui possit è dignitate mea,
aut re esse coronã Martyrii, quam
prope contigerim, è manibus elabi
sinere. Quocirca sic mecum ipse cõ-
stitui, sic vobis denuncio mori me
posse, ab incepto recedere nō posse.
Interea, vt apud Iaponios huius lo-
ci homines plectimos est, Cãgano-
cami iubet eũ missis octo militibus,
intra domesticos parietes vita spo-
liari. Veniunt illi prima luce: ipse,
quod erat, facile coniectura affecu-
tus, omnibus hilaritatis signis aduē-
tū eorum celebrat, vetatq; metue-
re, ne vestigiis insistat equitum Eth-
nicorum, quibus, si tali tempore fa-
cultas sit, lictores telo arcere, & ap-
petere sit moris, ne fracti, & abiecti
animi fuisse videãtur; Se Seruatoris
sui exemplo, perinde atque agnum,
ferrum recepturum. Hortantibus
illis vt, quod apud Iaponios eximi-
um, &

um, & imortalitate dignum facinus putatur, sibi ventrem ipse perfoderet; respondit: Non sibi vim animi ac robur deesse: sed postquam Christianus sit miles, minimè se hoc mortis genus decere. Sub hæc, percussoribus vxorem iubentibus aliquid parare, quod prius ederet, quã necaretur; Deo inquit, placet, vt nullum in hac vita præterea cibum capiam. quod reliquum est, munus vestrum exequimini. Pridie sub vespere, arcam in qua componi volebat, suis ipse manibus compegerat, & lætitiæ demonstrandæ, vt Iaponii solent, totum corpus abluerat. Vestes quoq; induerat nobilium in modum splendidas, prorsusq; candidas. Vxorem Ethnicam feminam cum valere iuberet, plurimum hortatus est, vt si se amaret, atque in cælis optaret reuisere, quamprimum Christianã religionẽ, cuius causa vitam ipse suam proiiceret, quamprimum complecteretur, qui enim

E 5 eius

eius sit expers, eum illic non salutem, ac vitam, sed exitium, & pœnas manere. Filiolum septuennem, qui tribus ante hebdomadibus baptismo lustratus erat, admonuit ut ab se disceret vitam potius, quam constantiam in Christi fide amittere. Conuersus deinde ad maiorem, annos natum septemdecim, Ethnicum: Fili, inquit, neque indoles tibi deest, neq; intelligentia. velisne, quo nunc proficiscor, aliquando peruenire, an ad inferos deturbari in tua est manu. Paulo amico suo renunciari iussit, se eum in caelo præstolaturum, & ne quâ aberraret à via, pro eo cum Deo acturum. Denique reliquæ familiæ, omnibusq; astantibus multa salute dicta, cum ad Martyrii locum venisset, quem ut publicè fidem nostram sanctam testificaretur, extra domum sibi delegerat, armis militaribus ense & pugione abiectis, Christiana arma sumit coronam precatoriam, effigi-

em

em Christi patientis, & libellum
sacrarum precum. Deinde percus-
sores rogat, vt ipsorum bona venia,
al quantisper precibus intendere li-
ceat. absque enim tali præparatio-
ne, Christianis mortem subire non
licere. Eorum ergò voluntate to-
tam coronam precando percurrit.
iamque dimidio horæ spatio elapso,
percussorum vnus ensẽm exemerat,
vt feriret, cui Martyr manu abnu-
ens: Necdum tempus est, inquit, mi
frater. sine quæso preces meas sine
interpellatione persoluam. Altero
horæ dimidio exacto, depromptam
è sinu imaginem veneratur, ac mox
recondit. tum corona in dextram
traiecta, nonnihil precum recitat è
libello. Ad extremum, cum se finem
fecisse significasset, iunctis manibus
cervicem protendit, quâ vnico ictu
abscisa XV. Kalend. Decemb. Anno
MDCVIII. paullo ante solis or-
tum, ad inaccessam diuinæ bonita-
tis lucem fruendam profectus est.
Cor-

Corpus Martyris honorificè in loco sacro conditum est, sed clandestinò, quòd si publico apparatu factum esset, aliquid turbarum metueretur. Michaeliscum eadem cum Patre cælestis palma manebat, nisi Fongio qui prius occidi iusserat, vitam eius amicorum precibus condonasset, quam certè beatius pro Christo exuisset, cumq; immortalitatem mutasset. Non desierunt Ethnici huius viri exitum admirari, cum dicerent, non esse rem inauditam in Cassumano regno, totoque Iapone ut homines belli similibusque temporibus, gloriæ, famæ, dignitatis, opum, aliarumq; rerum, quæ sub oculos cadunt, & magni in hac vita vulgò æstimantur, studio, vitam periculis obijciant: Sed reperiri hominem, qui salutis, quæ mortales sensus fugiat, acquirendæ causâ, tanta, quanta Leo Xichiemon fecisset, animi magnitudine, & voluptate vitam prodigat, id verò facinus

MARTYRIB. IAPON. 77

cinus esse quod ad eam diem in his
oris neque visum sit, neque fidem
inuenerit. Hæc est R. P. N. duo-
rum vltimorum Martyriorum Ya-
tzuxirensis, & Sassumani historia.
hic fructus, quem noua Iaponensis
Ecclesia hoc anno offert Christiano
in Europa populo. Quod superest,
orandus est Dominus, vt ipsi, & o-
perariis, qui in ea laborant magnam
caelestium opum vbertatem perpe-
tuo largiatur, vt rigata sanguine
Martyrum, & omnipotenti eius ma-
nu benedicta, qui incrementum
dat DEVS, numero, fide, & gratia
crescat, & amplificetur ad glo-
riam DEI Opt. Max. Na-
gafachi III. Non.
Mar. MDCX.



Episto.



Epistola Aliquot.

IOANNIS, ET MICHAELIS MARTYRVM,
PARTIM ANTE, PARTIM
post scriptæ quàm mortē sibi
pro Christo decretam
esse cognō-
runt.

*EPISTOLA MICHAELIS ad Præpositum Pro-
uincialem Societatis
Iesu.*

QUOD DEVS benevertat, ad
Te R. P. scriptum eo, vt hos
natales Domini nostri dies
lætos tibi illucere iubeam, certio-
remque te faciam de incredibili be-
neficio, quo Deus Opt. Max. ho-
minem plurimorum criminum re-
um (cuiusmodi me esse sentio) ni-
hil ta-

hil tale de se meritum afficit. quem
 ob confessionem sui nominis San-
 ctissimi, quattuor ipsos annos iace-
 re in custodia, multasque ac multi-
 plices ærumnas perpeti finit, quas
 inter tantis lætitiis, ac voluptatibus
 adhuc circumfluxi, vt non amplius
 vnum diem in carcere mihi moratus
 videar. id quod inusitata quadam
 Dei benignitate fieri intelligo, quam
 equidẽ meo ingenio, vt est hebes, &
 exiguũ, nequeo cõprehendere. Nu-
 per, cùm grauem mihi morbum De-
 us obiecisset, metuere cœpi nè ex-
 tingerer in carcere, sed visum est
 illi vitam mihi proferre, vt me mise-
 ro homuncione sanctæ fidei, & veri-
 tatis doctrinæ suæ teste vtatur. Non
 possum, quæ est mea vilitas, atque
 stupiditas, pares tanto beneficio
 gratias agere. Interea quàm fieri po-
 test abiectissimè de me ipse sentiens,
 agnosco, & veneror munus omni
 æstimatione præstantius, quo Deus
 pro sua infinita humanitate, me cu-
 mulat

mulat; Tuis, vt opinor, R. P. aliorumq; de Societate Patrum ac fratrum sacrificiis, & precibus intercedētibus. Quapropter plurimum omnibus ac seorsim tibi me debere profiteor. Quæso vt hæc tua in me officia constare velis. Vale VII. Idus Ianuar; MDCIX.

EIVSDEM.

*Ad P. Ioannem Baptistam
Baezam spiritualem Patrem suum.*

HAs R. P. ad te litteras scribenti DEVS, precor, adesse velit. Quartus decimus annus agitur cum Nangasachum profectus, vt Luciam Benedicto marito eius demortuo solarer, redii in memoriam, sæpe illum auctorem mihi fuisse, vt Christianus fierem. Itaque cum Luciae dixissem velle me Christiano,

MARTYRIB. IAPON. 81

Christianorum sermonibus operam dare, illa Gomezium hominem de Societate non Sacerdotem accersit. Huius institutionibus certò persuasum mihi est, vnum esse Deum, in cuius ditione sit hoc vniuersum, omnipotentem, qui cælum, terram, cetera procrearit, omniaq; suo nutu administret & regat. Comperi etiam Cames & Fotoques, quos ad eum diem adoraram, ficta esse & vana numina. ad hæc quicquid fecissem, dixissem, cogitasset peruersum fuisse, & cum ratione pugnassem. Constitui ergò ad baptismum accedere, quem mihi P. petrus Paulus contulit, quo tempore de tanto beneficio multas Deo gratias egi, qui ad eum diem viuere me passus esset. Enixè præterea optabam vt vterque parens, coniunx, liberi, propinqui, & amici mei quamprimum erudirentur diuina doctrina, eamq; complecterentur. Id quod deinde fecerunt, & incredibili mea

F volu-

voluptate baptismo initiati sunt. Ab
eo tempore cor mihi mirificis sem-
per gaudiis abundavit, cœpique fla-
grare cupiditate totum me, omni-
bus in rebus siue prosperis siue ad-
uersis, diuino arbitrio permittendi.
sentiebam magis ac magis immergi
indies animum in amorem pro-
creatoris sui, atque ardentem deside-
rare, vt, quibuslibet ipse vellet, mo-
dis mos eius volūtati gereretur. Ve-
rum, vt eram multis peccatis coo-
pertus, hæc & alia eiusdem generis
mea vota irrita cadebant, cū ad
perficiendum, quod optabam, vis
animo deesset. Quare assiduis pre-
cibus sanctissimam matrem D. N.
IESV CHRISTI Mariam orabā,
vt meam humilitatem, & miseriam
miserata, eundem Dominum no-
strum exoraret, vti ad gloriam ipsi-
us Dei Opt. Max. meam, parentū,
vxoris, ac liberorum vitam ei serui-
endo feliciter consumi vellet: Et
quoties supplicium de fonte aliquo
sumi

Ab sumi spectabam, mecum ipse sic lo-
 quebar. Quid mihi faciendum est,
 quando isti rerum fluxarum causa
 tam immania patiuntur, & tam pre-
 tiosam vitam tam male impēdunt?
 ô vitam acerbam, & miserabilem
 quæ sine fructu finitur! & quanquā
 multarum culparum, nullius bene-
 promeriti essem mihi conscius, assi-
 duo tamen, etiam quoties iter face-
 rē, incendebar desiderio pro Chri-
 sto omnes ærumnas, supplicia, ho-
 minum iniurias, atque insectatio-
 nes, quæ homini in hac vita accide-
 re possint, tolerandi, utque meum
 palam cum fontium cadaueribus
 proponeretur. Huius ut me voti
 compotem faceret, Deum identi-
 dem per immensam suam bonitatē
 obtestabar, ne me, si usu veniret ut
 ipsius honori ac gloriæ seruiens ad
 pænas vocarer, desereret. Spes om-
 nes meæ sitæ erāt in sanctissima Ma-
 tre Domini nostri Iesu Christi Ma-
 ria, quam assiduò obsecrabam, ut

partes sibi sumere dignaretur eiusdem Domini deprecandi, vti pro sua clementia, ac facilitate mihi, parenti, vxori, filiis concederet in ipso, & pro ipso vitam finire. Atque ita totus ab ipso pēdens, quid diuina prouidentia de me fieri decerneret, præstolabar. Contrà verò cū, vt sum imbecillis, corporis necessitatibus, quibus cōflictabar, angerer, eas commutandis locis, & abiectis, ac vilibus operibus faciundis, atq; seruienda apud quempiam seruitute depellere cogitabam: Verūm, Deo suo instinctu auxiliante, his cogitationibus obstiti, postquam mihi ipse persuasi, nullum iam quidem, ad deseruiendum Domino nostro, Yatzuxiro commodiorem, & appositiorum locum esse. Intelligebam enim quamuis hominibus contemptui essem, atque ludibrio, hunc tamen contemptum, atque ignominiam, si ex amore in Deum patienter feratur, omnibus etiam eorum
qui

qui in maxima apud huius seculi
 homines existimatione, & honore
 sunt, dignitatibus fastique ante-
 cellere. Cæterum cùm animo iam
 pacato essem, atque tranquillo, vi-
 sum est Domino, vt ego tantus pec-
 cator eius sancti nominis caussa
 raperer in vincula: qua de re im-
 mensas illi gratias ago. neque pos-
 sum eius in me miserum tam pro-
 pensæ voluntatis, & tam singularis,
 beneficii magnitudinem verbis as-
 sequi: quando quidem sentio Deum
 Opt. Max. his vinculis, velut manu
 iniecta, corporis atque animi mei
 possessionem vsurpauisse. Igitur ab
 eo tempore ad eò totus in eius pote-
 state fui, nihil vt esset quod aut mo-
 lestiam mihi creare, aut mentis sta-
 tum perturbare posset. Quocirca
 quibus verbis tantum beneficium,
 quo me Deus tot peccatis alligatū
 pro sua benignitate complexus est,
 explicare, nedum amplificare pos-
 sum? neque video quid pro eo offi-

cii possim referre. Equidem nolim morbo interire in carcere, siquidem illud esse videtur, quo Deus meo corpore ad suam gloriam sit vsurus. Neq; aliud iam mihi suppetit, quod Domino offeram, præter hoc studium vitæ ad eum diem conseruandæ, quo productus in aciem, ipsius auspiciis, ac præsidio, multa militum millia vnus profligem, & corpore meo, ob ipsius sanctum nomen, veramque cælestem doctrinam propugnata, in eodem cum facinorosis loco, proposito, per has omnes regiones cum maxima gloria eius fama diuulgetur. Ad hæc omnia impetranda adiutricem mihi delegi sanctissimam matrem D. N. I E S U CHRISTI Mariam, agoq; Deo magnas gratias, quòd ad hoc temporis momentum constantem in his animum mihi præstiterit. quo momento eccetibi Sandeyu Faber tignarius nunciatum venit, certissimò hodie mihi vitam ereptum iri. De quo
qui-

quidem nūcio laudes Deo gratesq; habeo, eiusque interea maiestatem veneratus, meamque vilitatem despiciatui habens, opperior apparitorum, qui me ducat. Quanta animus meus voluptate perfruatur verbis non possum exponere, itaq; quoniam addere plura non licet, hic finem facio. Amoris tamen memoriam, quo me omni hoc tempore persecutus es, nullus depono. Quæso te, vt errores mihi omnes meos condones. III. Idus Ianuarii, anno MDCIX. quo eodem die Martyrio perfunctus obiit.

IOANNIS MARTYRIS.

*Ad Patrem Proprepositum
Prouincialem.*

DEVs R. P. hunc meum ad te scribendi laborem fortunet. Adest illud, diuina prouidentia decretum, cūm, vt semper optaui, Do

F 4 ui, Do

ui, Domino nostro, mei in eum amoris testandi, honoris & gloriæ ipsius propagandæ, & fidei nostræ sanctæ tuendæ causa coniugē, filios, familiam, cætera, atque adeo vitam ipsam deuoueam. Non possum his meis inconditis verbis exprimere, quanti hoc præcipuum beneficium à Domini nostri benignitate in me profectum pendam, atq; æstimem. Non possum pares tibi gratias referre pro sanctis & salubribus consiliis, quæ mihi dedisti, pro amore, quo me omni hoc tempore comprehendisti. in primis verò quod inter sacrificandum, & precandum, mei semper memoriam colueris. Ego maximus peccator quatuor annorū spatio magna cum voluptate, & solatiis, ærumnas carceris pertuli, vt tot in eo exactæ veris, autumniq; tempestates vnus horæ instar habuisse videantur. Et nunc offero, vtī semper expetiui, Domino nostro res omnes meas, & vitam, & quoniam

niam, quid de hoc collato in me
 Dei munere sentiam, non possum
 calamo describere, finem hic scri-
 bendi facio.

*Eiusdem ad P. Ioannem Ba-
 ptistam Baezam spiri-
 tualem suum Pa-
 trem.*

DEo sua gratia opitulante, ac
 fauente, has ad te R. Pater
 litteras do, quibus de meiste-
 rebus certiolem faciam. Decem
 ab hinc annis penitus eram tenebris
 errorum, quibus Ethnici tenentur,
 immerfus, & multigeneribus no-
 xis impeditus. Sed postquam Deo
 Domino nostro pro sua incompre-
 hensibili, & infinita misericordia
 placuit, vt sacro baptismo abluc-
 rer (cuius gratiae causa nullum fi-
 nem facio gratias agendi, diuinam-
 que prouidentiam & benignitatem

F 5 prae di

prædicandi Janinus mihi meus sanctæ fidei lumine collustratus est. Quare reputans cum animo meo beneficia, quæ ille cæli terræq; dominus in genus humanum, ac seorsim in me quoque hominem tam noxium contulit; ac præcipuè quod Iesus Christus D. N. Dei filius, nostræ salutis causa homo sit factus, & crudelia supplicia, necemq; pertulerit: video me, ne minimæ quidem guttulæ huius velut immensi gratiarum, & beneficiorum diuinorum pelagi, paria referre posse. neci amoris mei testificandi, ossa mea comminuam, & corpus in pulverem, ac cinerem redigam. Idcirco continuo illud vnum enixissimè studeo, vt, minimum, coniugem, liberos, familiam, domum, & fortunas, vna cum vita pro meo in ipsum amore, eius gloriæ quærendæ, sanctæque fidei propagandæ causa Domino nostro cōsecrare liceat: nulla re, quam ipsius liberalitate acceperim,

rim,

rim; excepta. Enim vero, vt sum infelix peccator, viribus meis id assequi non possum. Ab sancta igitur Maria identidem enixius contédo, vt hanc mihi gratiam á filio suo Iesu Christo fieri postulet. Biennio postquam ad Christum me adiunxi, bella, ac tumultus in Fingo extiterunt, quibus factum est, vt regnum, quod Christiano Principi paruerat, in Ethnici hominis, qui sæuus est hostis Christiani nominis, potestatem veniret, à quo Christi fideles vehementer exagitari cœpti. quo tempore, cùm in Fingo natus non essem, non erat cur in eo mori cogerer, vt cui integrum tali tempore esset tota regione excedere, & Nagasachum, aut in patriam semigrare. Verùm illa cupiditate, quam supra explicui, impulsus, decreui ad seruiendum Deo nullum esse hoc regno opportuniorem locum, proinde sedem in eo fixi. Progressu tēporis, cùm ingrauesceret persecutio,

tio,

tio, quinque annis ita Deo me corroborante, & suppetias ferente, vixi, vt neque hostibus vnquam cederem, & aliis etiam hominibus, quatenus vires meæ ferebant, opitularer. Non cessabam interea vota Deo facere, vt mihi facultas esset non aliud quàm gloriam ipsius spectanti, pro ea me totum impendere. Ad extremum Gubernator ciuitatis mihi ad se coram accersito memorat, grauiter succensere Canzuyendum, quod essem Christianus. Proinde aut ad Ethnicismum redeundum mihi esse, aut per multiplices cruciatus vitam amittendam. Respondi præcise: faceret, diceret quod vellet. Christianum nunquam me esse desitutum. Dominum, quem adorarem omnipotentem esse, cælum ac terram fecisse, pro arbitrio res omnes moderari, beneficia eius, quæ æstimari nequeant, in mortali-um genus extare. exorsus etiam sum sermonem de mysteriis Incarnationis,

nis, Passionis, & mortis Saluatoris
 nostri, aliisque fidei nostræ capiti-
 bus. quæ ipse sibi probari, & con-
 gruenter rationi videri aiebat. cæter-
 um faciendum sibi esse Canzuyeri-
 doni mandatum, quo me in custo-
 diam dare iuberetur. Propediem,
 ubi is reuertisset, cogniturum quid
 porrò de me fieri vellet. Atque ita
 custodiæ sum traditus. Sermo hic
 meus rudis & abiectus non est par
 profecto illi gratiæ & beneficio, quo
 eo die cumulatus sum declarando.
 atque hoc eorum, quæ liberalissima
 manu in me contulit, primum duco.
 Ærumnis carceris nihil moueor. id
 vnū excrucior, quod olim huius ca-
 duci corporis victus illecebris pec-
 cata multa & grauiâ peccaui. Qua-
 propter, quoad per imbecillitatem
 meam licet, absq; intermissione pre-
 ces, flagellationes, ieiunia, ad hunc
 diem frequenter, iamque eidem Do-
 mino nostro dedicaui, vt optabam,
 vxorem, liberos, familiam, facultate-
 tes,

tes & super hæc omnia corpus, & animus meum. Quoniam verò scribendo non possum persequi, quam mihi huius gratiæ perspecta, & ad immortalem memoriam animo penitus infixæ sit magnitudo, hic epistolam claudam. Multa mihi essent prætetea Tibi R. P. si tempus sine-
ret, perscribenda. Sæpe hætenus fama fuit, de nobis supplicium sumptum iri: sed nullo adhuc effectu. idcirco verebar ne etiã rumor, qui modo de nostra morte allatus est, vanus esset: sed, Deo providente, ad exitum videmur deuenisse. breui enim nos neci dedit. Hætenus Ioãnes. Sed quia Martyrium in Idus Ianuar. reiectum est, locus fuit quæ sequuntur ad hanc epistolam adscribendi. Iam, vt ad superiora non nihil adiungam, profiteor me amorem in me Tuum R. P. pro dignitate verbis commendare non posse. Nam etsi ita tulit voluntas, & immensa misericordiæ sanctissimæ
Trini;

Trinitaris, estque magistro ac duce Spiritu sancto perfectum: Tua tamen manu baptismo expiatus, crebro deinde aliis sanctissimis Sacramentis, atque optimis consiliis ac monitis abs te sum adiutus. Inde eum, Dei gratia me prosequente, fides altiores in animo meo radices egisset, cœpi considerare attentius, quemadmodum omnipotens & æternus Deus Dominus noster, in quo bonum omne, verumque omnis perfectio infinite reperitur, ut pro sua immensa bonitate diuinæ illius suæ gloriæ quasi redundantes, & superfluentes copias nobiscum participaret, cælum, terram, res denique omnes, quæ vnquam esse cœperunt, è nihilo creauerit. Neque oratione percenseri possunt beneficia omnia cælestia, quæ idem Deus humano generi præstitit, postquam ille, profusa per peccatum Procreatoris sui gratia, Paradiso, beatæ cuiusdã vitæ sede, exturbatus est. Quippe, ut sanctissimi-

ctissima illa diuinitas naturam humanam abiectam subleuaret, homo esse sustinuit. Quod quidem beneficium captum omnem humanæ mentis excedit. Siquidem tanti fuit illi, tot bona, quæ deinde ad nos deriuata sunt nobis acquirere, vt suum commodum post habuerit. Triginta tres annos in hoc mundo sanctissime exegit, & quod caput est, postremum illum suum agonem per acerbissimos cruciatus vsque ad necem peregit. Est autem inter homines eo consilio versatus, vt condonatis, ipsius interuentu, ab æterno Patre peccatis nostris, noxiam deinceps omnẽ fugeremus, & promptè ac facile virtutum officia præstaremus. ergò Magistrum ac ducem se præbuit voluntati Dei obsequendi, Dei amori, Dei seruiendi studio res omnes postferendi. Hæc dum cum animo reputo, satis intellexi operæpretium esse, quanto maximo possis odio culpam omnem quamuis le-

uis leuem refugere. Hoc etſi in ſede-
 rat animo, tamen, vt eram quadam
 prauī cōſuetudine deuinctus, eua-
 neſcebāt ſcilicet id genus animi mei
 propoſita. Idcirco ad S. Deiparen-
 tem Mariā perſugere ſtatui, eamq;
 pro me deprecatricē adhibere, bea-
 tos quoque Angelos & homines, vt
 veniam mihi impetrarent delictorū
 omnium, virtutumque copiam, im-
 plorare. Ea quoque gratia propoſui
 ſexta cuiuslibet hebdomadis feria
 ieiuniū ſeruare, quod, Deo propi-
 tio, eo anno feci. Sequenti verò año,
 ac deinceps ad hoc vsq; tempus, nō
 ſexta modò feria, ſed etiam ſabbato
 eundē morem tenui. adiunxi deinde
 ad ieiunium vnā in ſingulas hebdo-
 madas flagellationē, atq; in carcere
 quidem omnibus ſextis feriis & ſab-
 batis, aliquot verò ab initio elapſis
 mēſibus, quater quo hebdomadi-
 bus, in meipſum flagris animaduer-
 ti. Poſtulabam præterea perpetuo à
 Domino in precibus, & ſacris medi-

G ratio-

tionibus, quæ scio, quàm, ob meam
solicitudinem, nihili sint, hanc mihi ut
gratiã faceret, uti me quãtus qua-
tus sum, filios, coniugem, familiam,
domum, rem familiarem, cogitatio-
nes, verba, negotia, omnia cetera
dedicare ipsius numini Maiestatiq;
liceret. Ad vltimum, quæ est imen-
sa eius clemẽtia, & bonitas, dignum
me putavit qui eius causa vincerer.
Pro quo beneficio, quo mihi quidẽ
præstãtius nihil accidere potuit, no-
cẽ dieq; domino gratulor, simul ro-
gãs, in eorum ut me numero esse pa-
tiatur, qui Christi amore suppliciis
se torqueri, & vita multari patienter
perpessi sunt. Orabã quoq; pro Ec-
clesia, ut omnibus, qui in ea sunt ar-
ctẽ colligatis, eius nominis splen-
dor in dies augetur: pro Pontifice
maximo: ut Christi D. N. doctrina
omnibus oris promulgetur, ac pro-
pagentur, atque adeo ut omnes ad
Christum se congregent: pro Chri-
stianis populis, ut pace, & tranquil-
litate

litate fruantur. Impensius verò pre-
 cabar pro Iapone, atq; in primis pro
 Episcopo. pro propræposito Socie-
 tis, pro omnibus Patribus, fratribus,
 atq; alumnis eius, pro omnibus qui
 hominū animas curāt: pro hæreticis,
 schismaticis, & apostatis: pro iis, qui
 in lethali sunt noxa: pro animis qui
 purgatorio igne expiantur: pro om-
 nibus deniq; qui alia quapiam ne-
 cessitate conflictātur. Initium autem
 plerumq; precādi faciebam de me-
 dia nocte, eamq; ad tēpus vsq; pran-
 dii producebam. A prandio capta
 modica quiete lego spirituales li-
 bellos, ac deinde ad commentatio-
 nes meas sacras me refero. Vbi cæ-
 nauī, & paulisper somno indulsi, ad
 coronam precatoriā preces exigo.
 His mihi officiis pietatis intento li-
 en obstrui cœptus. Hactenus Ioan-
 nes, qui eodem die ductus ad Mar-
 tyrium, tempore exclusus im-
 perfectam periodum
 reliquit.

G 2 EIVS

EIVSDEM MARTYRIS Ioannis Ingorò scripta XIII. Kalend. Februar. Anno MDCV. ad Christianos Yatluxirenses, qua narrat, quid inter se, & Gubernatorem eiusdem oppidi sit actum.

CACVZAYEMON Gubernator, postquam in conspectum eius veni: Quod, inquit, rationem sacrorum Canzuyendoni lege vetitam sequare, grande piaculum est, cuius abs te poenæ poscendæ sunt. Si tamen Christianus esse defines, res tibi erunt in tranquillo. ad hoc ita respōdi: Domine: Nulla res plus mihi voluptatis, & gaudii, nulla vberiore Deo iuges, atq; infinitas gratias agendi materiam afferre potest, quam diuinæ illius maiestatis causa suppliciiis mactari, sanguinemque profun-

profundere. atq; id vnum in medi-
 tationibus omnibus sacris, & preci-
 bus spectro, vt ad id accingar. Hinc
 coniecturam facere poteris, quàm
 longè absim à consilio ad Ethnicif-
 mū redeundi. Ego verò, inquit, Gu-
 bernator, obstupesco. neque enim
 quèquam hominem æquè ac te vul-
 tu hilari vnquam vidi. Deinde in-
 troducto in interiora suarum ædiū:
 Vnde, inquit, mi frater, hæc tua
 immodica lætitia? Tum ego con-
 uersionis meæ historiam à capite ar-
 cessens: Cum, inquam, annis supe-
 rioribus, sectarum Iaponiarum do-
 ctrinam iis libris legendis cognosce-
 re studerem, qui fama, & eruditio-
 ne præcellunt, multa in iis absurda,
 multas fictas fabulas, multas frau-
 des comperi: quis verò auctor es-
 set cæli, terræ, hominum, & reliquæ
 vniuersitatis, mirum silentium. Vn-
 de in eam opinionem sum adductus,
 vt omnia fortuitò ac spõte extitisse
 crederem. Quare qui salutem ani-

G 3 morum

morum appetant, & quærant, meas nugas agere. quæ in hac vita sint ea sola aliquo numero esse debere. Postea verò Murus oppidum, quod mihi patria est, in potestatem venit Augustini Fingonocami, qui omnibus suæ ditionis hominibus auctor erat, vt, quod iam ipse fecisset, Christi instituta sequerentur. tum verò ad conciones itare cœpi, & interdum cum concionatoribus congregari. cū interea, neque vt fateer, neque vt crederem vllam esse ad salutem animi viam, animus induci posset. Aliquāto post temporis interuallo huc Yatzuxirum veni, vbi Christianis nonnullis ea exposui, quæ mihi dubitationem de animi immortalitate faciebant. quæ cū illi negarent se posse refellere, eorumq; confutationem à quopiā de Societate se petituros esse dicerent, enimverò tantopere me ipse circumspicere cœpi, tantumq; fastu & arrogantia intumescere, nullum vt Sociorum mihi
compo-

componi posse crederem. Interea loci reuertitur è Coraiano bello conixi Iacobus Mimafaca, qui sua facundia, religionis ardore, & præstantibus virtutum exemplis maiorem populi, ac nobilitatis partem, atq; adeò me quoq; omnium peruicacissimum adduxit ad Christum. Non prius tamè ad baptismũ accessi, quam rationes omnes, quas ad demonstrandam certã ad salutẽ viam Christiani afferunt, cõsiderauissem cum animo, & singularum momenta expendissem. Ibi verò manifesto comperi, & manu tenui, fieri non, posse quin aliquis sit totius vniuersitatis parès, & quin doctrina ab illo prodita certa sit, atq; omnis erroris expers. Risit ad hos meos sermones Cacuzayemon, & : Nimirum, inquit, res festiua foret, si qui de Christianis quæstionem habet, eosq; castigare cogitat, victus eorũ sermonibus caperetur. Equidem nunquam existimaui Amidam, aut

Xacam salutem dare posse: neque probabile mihi videtur, quod Benzi prædicant, eum qui hoc solum dixerit, Namù Amidabut, certo ad salutem esse venturum. Idem de Christianis meum est iudicium, quos equidem solis IESV & Mariæ nominibus pronunciandis, absque aliis operibus bonis, non credo felicitatē adipisci posse. Porrò quemadmodū Xacà multorum mendaciorum, & technarum artifex fuit, ita non satis scio, num vestri Patres eandem non insistant viam, neque rectē an secus sint animati, neq; omnino quid propositum habeant. Neq; satis possum statuere, an, quoniam ē remotissimis orbis partib⁹ huc aduecti, res patrias tanto eloquentiæ artificio, & animi impetu tollunt in cælum, vt plebem admiratione permoueant, idcirco tantā fidem mereantur. Neq; verò ego, inquam, solis Patrum sermonibus nitor, sed rationum, quas adducunt, firmitate, quibus cognitis non

tis nō habet mēs animi, quod ultra
 requirat. itaq; nunc vel illa vna me
 cogitatio iucundissimè afficit, quod
 Christiani nominis causa sit mihi
 moriendum. Tum Cacuzayemon:
 Multi, inquit, homines animosi &
 fortes mortem nec flocci fecerunt.
 neminem tamen existimo tali tem-
 pore tantam, quantam in te video,
 lætitiā, ac serenitatem vnquam o-
 re prætulisse. Cui ego: Hoc gaudiū,
 inquam, Domine, animique iucun-
 ditas, non aliunde quàm ex persua-
 sione nascitur, aliam superesse vitā,
 vnumq; esse rerum creatorem. quæ
 quidem persuasio perinde mihi cer-
 ta videtur, ac si manibus rem tenerē.
 Subiicit Gubernator: Nimirum tu
 homo nimiū simplex, quicquid Pa-
 tres dixerint confestim tibi persua-
 des. Doleo, crede mihi, homini tali
 bonitate, & candore animi, qualem
 in te animaduerto, esse pereundum.
 Respondi: at ego, Domine, non isto
 pacto, quo me esse inducis animum,

G s simpli-

simplicem, & syncerum me esse iudico. Quippe cum ante susceptum baptismū, huius seculi negotiis immerfus iacerem, securus futuri, hominibus interdum imponebā. nunc autem, quæ Ethnicis prima ducunt, atq; adeò vitam ipsam assis non æstimo. quam si propter meum in Procreatorem meum amorem, eiusque gloriæ studiū amisero, cum ea æternam, & felicem illam, quæ in cælis degenda est, commutauero. atque utinam, Domine, Patrum doctrinā complectare: idem, crede mihi, senties, ac prædicabis. Ibi Cacuzayemō: Simonem, inquit, Taquendam popularem, & amicum meum intimū, etiā cum vnus digiti iacturā seruare cupiebam. at ille omnibus consiliis meis abiectis, insuper Christianis consulebat, ne à suis institutis discederent. id quoniam cum manifesto legis Canzuyendonianæ desplicatu coniunctum erat, mihi illum ab interitu liberare non licuit. Hunc o-

raui

raui non semel per amorem, quo in me ferretur, vt, quoniam quæ ad æternam salutem pertinerent tam liquidó cognosceret, ea mihi ita declararet, vt perinde á me, atq; ab ipso capi possent. at ille eas eiusmodi res esse aiebat, quas se verbis explicare posse diffideret. Ad extremum, iubet me ire in carcerem: recepit tamen, vbi venisset Canzuyédonus, apud eum de mea liberatione acturum. Egi gratias de hac eius in me voluntate: maius tamen beneficium futurũ, si casus mihi esset pro IESU CHRISTI seruatoris mei nomine sanguinem fundendi. Hæc est summa eius sermonis, quem cũ Governatore habui. Vos in agẽdis. Deo gratias pro tãto beneficio, quãtum est Dei causa captum esse, me quæso adiuuate. Orate etiam Deum Opt. Max. vt maiore in me quotidie clementia, ac misericordia utatur. Hactenus Ioannes Ingorò. Cognitum est præterea obiurgatum eũ à Cacu-

à Cacuzayemone, quòd ossa quatuor crucifixorù Magdalenæ, Agnetis, Ioannæ, & Ludouiculi furari, & Nang-fachi vendere non dubitauisset. Cui negauit Ioannes posse à quoquam se talis nundnationis cõperiri, fateri tamẽ nonnulla fortuito in terram delapsa, vt Christiano ritu humaret, sublegisse.

*EPISTOLA TRI-
um Martyrum, é carcere
Yatluxirensi ad P. Propre-
positum Prouincia-
lem Societatis
Iesu.*

Mirificè Tuis litteris, Reuerẽde Pater, recreati ac refecti sumus. Quod ad nos attinet, tametsi semper aliquam Dei causa aduersa patiendi occasionem expectauimus, verebatur tamẽ, ne, quod peccatis inquinati essemus, voti nostri

stri compotes esse non mereremur. Nunc autem postquam ob confessionem sanctissimi eius nominis captiui tenemur, effusam animi nostri lætitiã eloqui non possumus. neq; satietas vlla nos capit grates laudeſque Deo habendi, tum pro hoc tam eximio munere, tum pro cupiditate tantas iniurias, ac tormenta, quanta maxima mortalitas ferre possit, exemplo Domini nostri Iesu perferendi, quam ille cupiditatem magis ac magis indies in pectoribus nostris accendit. De coniugibus, liberis, propinquis nihil angimur, postquã eos vnã cum vita nostra iam Deo deuouimus, & tibi, cæterisq; Patribus sunt commendati; Yatzuxirẽles Christianos pro nobis Ioannes Zyemon regit, & curat. Quæso te vt eos soleris, & arrigas, vt sibi constant, neq; socordium quorundam, & infeliciũ hominum vestigiis insistant, quos hac postrema persecutione lapsos esse magno nostro mœ-

110 RELATIO DE

rore cognouimus. Allatū est ad nos
Sacerdotem quendam è Societate,
Cum motum profectum esse. At-
qui scito Reuerende Pater, si eo cō-
silio hoc iter susceptū est, vt de no-
bis liberandis conueniat Canzuyē-
donum, nobis id non placere, atq;
hoc officium magno nobis dolori,
& molestiæ futurū. Tu. R. P. & ce-
teri de Societate, vestris quæso S. Sa-
crificiis, ac precibus à Domino im-
petrate, vt nobis facultas detur ne-
cere eius causa sustinendi. Cætera
nostram vicem Ioannes Zyemō re-
feret. Quæso te vt nobis ignoscas,
quòd tanta confidentia, & mino-
ri quam par erat obser-
uantia, has ad
te scripse-
rimus.



RELA.

RELATIO DE
Martyrio.

Trium Christianorum Iapo-
nensium in Regno Fi-
rando.

YAMANDA locus est in insula
Ichizuchi, quæ in ditione est
Matzurafoim Reguli Firan-
densis grauis hostis, & persecutoris
Christiani nominis. in ea XVIII.
Kalend. Decemb. anno MDCIX.
Martyrium peregerunt tres Chri-
stiani honesto in ea insula loco ho-
mines, Gaspar, Ursula eius coniunx,
& Ioannes eorum filius.

Gaspar filiam suam Mariã in ma-
trimonium tradiderat homini pri-
mario, vt qui partem eius insulæ ad-
ministraret, sed ante alios idolorum
cæremoniis dedito. nomen ei erat
Condochisano. Is cum varia iniis-
set consilia, vt coniugem à Christi
fide abduceret, non dubitauit eti-
am pa-

am patrem rogare, vt idem puella
suaderet. At ille stultam Ethnici ho-
minis petitionem nec ad aures ad-
mittere, & filiam hortari, vt constā-
tem præstaret animum. Neque illa
sibi vnquam defuit, donec comper-
to, se citra Seruatoris nostri contu-
meliam, cum tali marito viuere non
posse, in paternam domum remi-
grauit. Condochisanus indignatio-
ne ob id excandescēs, vltimum ho-
mini familiæque eius exitium parat;
ergo per Bonzum quendam præci-
pue auctoritatis, qui cœnobium
quoddam regebat, Regulum Firā-
densem certiozem facit: non deesse
in Ichizuchi Christianos, qui, con-
tra ac ipse vetuerit, non modo hoc
nomen profiteantur, sed homines
quoq; Ethnicos ad suam persuasio-
nem conuertant. si inquiri iuberet,
vera ab se memorari comperturum.
Regulus negotium mandat huic ei-
dem Bonzo, deinde alteri cuidam
item Bonzo ex deterrima omnium
Iaponē.

MARTYRIB. IAPON. 113

Iaponensium sectarum, quã Yam-
buxi vocant, qui pactionibus cum
Dæmone infames, caua montium,
& densa siluarum incolunt. his ad-
didit eum, qui alterã insulæ partem
cum potestate gubernabat; cui no-
men Inouye Vmanoio. His impera-
tum vt Christianos de medio tolle-
rent. Igitur cognito Gasparem vna
cum familia Christi fidem profiteri,
atq; non multò ante tres infantes i-
nitiasse baptismo: esse quoque om-
nium Christianorum Ichizuchensi-
um facile principem, quippe qui ad-
mirabili quodam ardore pietatis
sermone de rebus diuinis habeat,
& festos ac ieiuniorum dies denun-
ciet: cuius rei gratia calendarium,
& varios libellos ad pietatem vtilis
in Iaponensẽ linguam conuersos si-
bi parauerit: his de causis hominẽ
cum Ursula coniuge, & Ioanne filio
occiderunt. Gaspar vbi se à Firan-
densi Regulo capitis condemnatum
audiuit, paullisper coram imagine
H Deipa-

Deiparentis Virginis comprecatus, vltro se ad Vmanoium Governatorem contulit, mori se paratum esse testatus. Euestigiò ad eum comprehendendum, & alligandũ ab aliquot militibus concurrunt. quibus Martyr: Fratres, inquit, quãdo Christiani nominis causa mihi moriendũ est, vana est hæc vestra diligentia, & cautio, ignauissimus quique, atque adeo puer, vestris in me partibus agendis par esse possit. Vincit noctem vniuersam precando, seque præparando traduxit. & Christianis, qui Gubernatoris iussu excubias apud eum agebant: Libentissimo, inquit, animo morior, & plenus spei, quod ad cælum sim peruenturus, qui ob professionem fidei Christianæ sanguinis ac vitæ iacturam faciam. Vestri verò me miseret, quibus in hoc mundo sit morandum. Instat Gubernatori, vt ad exemplum Seruatoris nostri, in cruce sibi emori liceret. Cum ille id negaret, quòd
neq;

MARTYRIB. IAPON. 115

neq; Regulus ita iussisset, neque in
ea insula cuiquam hoc supplicii ge-
nus decernere mos esset: at saltem,
inquit Gaspar, eo loco vitam depo-
nam, quo, antea ceptam persecutio-
nem, fixa crux erat, & maiores, ac
propinqui mei sepulti iacent. Post-
quam annuit Gubernator, cum i-
nibi esset vt exderetur, spacium Deo
se commendandi petiit, daturum
se deinde licitori signum, quod suum
esset faciendi. Paulisper submissis
genibus, & sublatis manibus preca-
tus, tempus esse innuit. Tum Gu-
bernator, quo honori eius magis
consuleret, sua ipse manu caput eius
ceruicibus abscidit. Idem, cum Bon-
zus Yamabuxi, vt in cadaueribus Ia-
ponii solent, acinacis sui in Gaspa-
ris corpore periculum facere vellet,
vetuit, & Christianis qui aderant, vt
corpus in veteri coemeterio, nostro
more, terræ mandarent permisit. E-
odem die, quo beatus Gasparis ani-
mus ad Deum profectus est, ex ædi-
bus

bus suis, in quibus capti tenebantur, Ursula, & Ioannes producti, supra quam credibile est, de hac sua felice sorte gaudio gestiebant. neq; agendis Deo gratias, quod eo honore se dignatus esset, ut eius causa vita priuarentur, exsaturari poterant. Cum autem lictores minarentur, nolle se eis vitam auferre, & accersitos esse dicerent à Governatore, ut, quod Gaspari fecisset, eorum necem exilio permutaret; Ambo enim uero Gasparem iam vita defunctum confirmare: nihil sibi antiquius esse, quam eum sequi, ac proinde flagitare, ut, ne Christiani nominis causa se perimere morarentur. Percussores in præsens quidem tacuerunt, sed cum progressi iter facerent, vnus militum ex improviso coortus semel Ursulã acinace ferit, qua plaga necdum extincta, procumbit in genua, & alteram opperitur, qua, Iesum & Mariam inclamans, occubuit. Ioannes qui aliquanto interu-

lo antecedebat, simulatque acinacem semel & iterum in matrem vibrari sensit, retrò flectit oculos, & ubi quid gereretur aspexit, & ipse submittit genua, atque, Iesu, & Maria clarè imploratis, vno ictu perimitur. Corpora, dum tempus sit ea in alium digniorem, & magis decentem locum transferendi, ante ipsorum ædes, sepulturæ tradita sunt. Deo laudes interea soluendæ, qui talem constantiam, animique fortitudinem fidelibus suis impertit.

Nangasachi VI.

Idus Mart. anno

MDCX.



FINIS.

H; FACVL



Facultas.

Hæ litteræ typis mandari poterunt, si ita videbitur Reuerēdissimo Domino Viceſgerenti, & Reuerendissimo Patri Magistro ſacri palatii.

Claudius Societ. Ieſu Præpoſ. Generalis.

Imprimatur ſi videbitur R. P. M. Sac. Pſal. Apoſt.

Cæſar Fidelis Viceſg.

Ex commissione Reuerendiff. P. M. S. P. A. Ego Nicolaus Caſſianus, legi hæ relationes de glorioſa morte nouem Chriſtianorum Iaponenſium, qui pro fide Catholica in Iapone Martyrio affecti ſunt, cum litteris ab ipsis, dum eſſent in carcere, ſcriptis, quæ mihi videntur non ſolum Chriſtianos & infideles eius rogni, ſed quælibet etiam, qui eas modo legere voluerit, ad pietatem, deuotio


uotionem & lachrymas permouere
posse. cum in iis resplendeat con-
stantia fidei, cum desiderio patien-
di, & moriendi pro amore Christi
Domini nostri, ipreto omni deside-
rio sæculari, propter cælestem glo-
riam. Itaque censeo vtilissimum fo-
re, si in lucem edantur. atque in hu-
ius fidem subscripsi 20. Iulii 1611.


*Idem qui supra Nicolaus
manu propria.*


Imprimatur.


*Fr. Thomas Pallauicinus Bonon.
Magister, & Reuerēdissimi P. F. Ludo-
uici Ystella sacri P. Apost. Magistri soci-
us, Ordinis Predicatorum.*



























Th

5224